

Complete Works of Lokuang Vol. 39-1

De Jure Peregrino Missionario In Sinis

"Respondens autem Jesus dixit illis:
Reddite igitur quae sunt Caesaris, Caesari:
et quae sunt Dei, Deo".
(S. Marc. 12, v. 17).

Student Book Co. LTD.

Parentibus longinquis
longaque separatione vel magis
desideratis ac dilectis
D. D. D.

一九四五年正月九日

此書出版

昔年曾未夢想考神學博士又未夢想印博士
論文而竟出意料之外在非常的环境下神學
博士論文成了我的第一顆小著作這真是生
是大意如此我只有俯首致謝



羅先

INDEX

Prooemium	vii
Introductio	1
Articulus I . De jure peregrino in genere.....	1
I . Notio	1
II . Natura	3
Articulus II . Principia communia juris peregrini moderni	5
I . Principia communia	5
Articulus III . De remissione	12
I . Notio	12
II . Solutio quaestionis	12
Articulus IV . Jus peregrinum in jure canonico	13
I . Notio	13
II . Principia communia	15
Caput I . Jus peregrinum missionariorum	19
Articulus I . Jus ecclesiae in missionarios.....	20
I . Missionarii dependent ab auctoritate ecclesiastica	20
II . Concordatum	23
III . Concilia plenaria terrae missionum	25
Articulus II . Jurisdictio Status civilis in missionarios	26
I . Jurisdictio civilis in missionarios in genere	27
II . Jurisdictio civitatis patriae in missionarios	27
III . Jurisdictio civitatis terrae missionum in missionarios	29

IV . De patronatus et protectoratus missionum	30
V . Pacta internationalia	32
Corollarium. Nationalismus exaggeratu in missionibus	33
Caput II . Jus peregrinum missionarium in Sinis	37
Articulus I . Brevis conspectus historicus pactorum sinas inter et exteras civitates	38
I . Prima periodus	38
II . Secunda periodus	39
III . Periodus revisendi pacta	41
Articulus II . Jurisdictio extraterritorialis	45
I . Natura	45
II . Objecta	48
III . Jus applicabile	50
Articulus III . Leges internae respicientes peregrinos	53
I . Leges internae	53
Articulus IV . Primum Concilium Sinense	55
I . Praescriptiones Primi Concilii Sinensis	55
II . Quid relate ad jus peregrinum missionarium?	57
Collorarium. De protectoratu missionis in Sinis.....	58
Caput III . De conditione juridica missionum in Sinis	61
Articulus I . Vicissitudines historicae	62
I . Periodus sine recognitione juridica	63
II . Periodus conditionis specialis	65
III . Periodus conditionis normalis	68
Articulus II . Libertas Evangelium praedicandi	71

I . Libertas ingrediendi Sinas	71
II . Libertas praedicandi Evangelium	72
Articulus III . Jus acquirendi bona immobilia	73
I . Vicissitudo historica	73
II . Normae vigentes	75
Articulus IV . Jus scholas aperiendi	81
I . Normae a gubernio sinensi datae	81
II . Normae ab ecclesiastica auctoritate datae	83
Caput IV . De statu civili missionariorum in Sinis	87
Articulus I . De nationalitate civili	88
I . Conflictus nationalitatis	88
II . Multiplicitas nationalitatis	89
III . Jus patriae	89
IV . Jus sinense de nationalitate	91
Articulus II . De capacitate juridica	92
I . Capacitas juridica	92
II . Capitis deminutio	94
III . Extinctio capitis	95
Articulus III . Jura civilia missionariorum in Sinis	96
I . Jura civilia secundum pactum	96
II . Jura a jure interno sinensi concessa	98
III . Cetera jura	99
Articulus IV . Capacitas personae juridicae	100
I . Nationalitas personae moralis	100
II . Constitutio personae moralis exterae	101
III . Capacitas juridicae personae moralis exterae	101
IV . Opera missionaria	102

Collorarium. Normae pro civibus nationum, quae pactum cum Sinis non iniverunt	103
Caput V . De jure familiae missionariorum in Sinis	105
Articulus I . Relate ad matrimonium	105
I . Matrimonium	105
II . Separatio matrimonii	106
Articulus II . Status prolis	107
I . De legitimitate	107
II . De effectibus civilibus	108
III . De adoptione	109
Articulus III . Sustentatio parentum	110
I . Sustentatio parentum	110
II . Limitationes juris ecclesiastici	111
Articulus IV . De tutela et cura	113
I . Officium tutelae et curae	113
II . Jus sinense	114
Articulus V . Successio hereditaria	114
I . Successio hereditaria	114
II . Capacitas ad successionem hereditariam in Sinis	115
Articulus VI . De testamento	117
I . Testamentum	117
II . Jus sinense	118
III . Forma testamenti	119
Caput VI . Jus reale	121
Articulus I . Principium generale	121

I . Principium generale	121
II . Jura realia	122
Articulus II . De cessione administrationis, renuntiatione bonorum et dotibus in jure religiosorum	125
I . Cessio administrationis bonorum	126
II . Renuntiatio bonorum	128
III . Dos religiosarum	128
Articulus III . Jura realia missionum catholicarum in Sinis	129
I . Jus proprium	129
II . Modus agendi	130
Articulus IV . De administratione bonorum	131
I . Administratio in genere	131
II . Administratio bonorum missionum catholicarum...	131
Caput VI . Actus juridici	133
Articulus I . Principium generale	133
I . Principium generale	133
II . Capacitas juridica	134
III . Conditiones necessariae	134
IV . Forma actus juridici	135
V . Effectus actuum juridicorum	136
VI . Actus publici et actus authentici	136
Articulus II . De obligationibus	137
I . Principium	137
II . Obligatio ex actibus illicitis	139
III . Contractus in jure canonico	140
IV . Contractus in jure missionario in Sinis	142
Caput VII . Defensio juris	145

Articulus I . Exercitia defensionis juris	145
I . Modus defensionis	145
II . Ordo publicus et boni mores	146
Articulus II . Tribunal ecclesiasticum	147
I . Jus commune	147
II . Tribunalia appellationis ecclesiastica in Sinis.....	147
Articulus III . Tribunal sinense	152
I . Tribunalia competentia	152
II . Normae speciales	152
Articulus IV . Tribunal exterum	154
I . Tribunal mixtum	154
II . Tribunal exterum	155
III . Aula mixta	155
Articulus V . Missiones Catholicae in Sinis relate ad tribunalia...	155
I . Modus procedendi	155
II . Jus ecclesiasticum	156
Appendix I . Normae de applicatione juris	159
II . Specimen pactorum inter Sinas et exterarum nationes..	164
Bibliographia.....	167
Abbreviationes.....	172

Prooemium

Persuasum nobis est studium juris civilis in terris missionariorum vigentis clericis, qui integrum Ecclesiae bonum vindicare sibi proponunt, non esse extraneum neque parvipendendum, uti nonnulli autumant; etenim studium tale, quod relationes missionum missionariorumque cum jure civili Status in quo opus missionale evolvitur, omnibus ex respectibus inquirat, non tantum novum campum juridicum nobis aperit, sed redintegrat etiam jus missionale. Sicut difficultates et dubia circa jus ecclesiasticum deesse non possunt in ministerio missionariorum, qui applicationem juris communis in circumstantiis specialibus omni cum certitudine cognoscere nequeunt, ita etiam in exercitio juris civilis missionarii dliquando ancipites inveniantur necesse est, quia jus peregrinum his his temporibus magna adhuc perplexitate laborat. Quando vero missiones catholicae a gubernio terrae missionis non considerantur esse partes Ecclesiae Catholicae Universalis, sed cognoscuntur mere uti religiosae civium exterorum associationes, tunc quaestio de jure et civili missionali speciale momentum acquirit exigitque studium accuratissimum. Hoc quidem erenit pro Missionibus Sinarum. Difficultates et dubia adhuc augentur, cum cives exteri in Republica sinensi commorantes non regantur jure communi peregrinorum sed statutis pactorum, quae conditionem quamdam specialem constituerunt. In conflagratione secundi belli internationali, omnes Status, qui veteribus pactibus jura particularia in Sinis acquisixerant, sponte suo favoribus privilegiisque renuntiarunt et conventiones novas juxta principia juris internationalis inire cum Sinis incipiunt. Necessitas igitur urget operam navandi ut clara cognitio conditionis juridicae missionariorum habeatur ad praecavenda damna futura et ad ingrediendam expedita novam viam.

Nam missionarii qui divino servitio se dedicant, tamen personam juridicam civilem omnino amittere non possunt, et in territorio alieno commorantes jus suae patriae observare non valent, norma igitur juridica specialis pro exercitio eorum jurium civilium stabilienda est ex principiis juris canonici jurisque internationalis. Praecipuus

scopus nostri hujus studii consistit praecise in evolvenda hac quaestione relate ad missionarios Sinarum.

Attamen nobis propositum non est ut in hoc studio quaestionem omni ex aspectu funditus tractemus; sufficit nobis, solummodo conspectum generalem tradere et principia annunciare. Nobis igitur non erit culpa vertendum si multoties quaestiones tantummodo tangemus vel canones articulosque simpliciter transcribamus. Tractatio nostra non erit intensiva sed extensiva.

Notandum etiam est quod in decursu tractationis lectores invenient cum quaestiones de jure civili missionariorum tum quaestiones de jure canonico missionariorum et promiscue tam conditionem juridicam missionariorum quam conditionem juridicam missionum tractari. Hoc evenit propter intimam connexionem materiae: nam missionarius in sua persona characterem civilem atque ecclesiasticum secumfert et missiones in terris infidelium saepe saepius considerantur ut associationes religiosas peregrinorum. Non quidem tractantes jus personale missionariorum negligere non possumus personalitatem iuridicam missionum. Objectum igitur nostrum est tractare de norma juridica secundum quam missionarii exteri in Sinis sive ut persona physica sive ut persona moralis agere debent in rebus civilibus.

Quibus declaratis laborem nostrum alacri animo evolvere incipiamus.

Combined Index

Vol. 39-1

Prooemium	vii
Introductio	1
Caput I . Jus peregrinum missionarium	19
Caput II . Jus peregrinum missionarium in Sinis	37
Caput III . De conditione juridica missionum in Sinis	61
Caput IV . De statu civili missionariorum in Sinis	87
Caput V . De jure familiae missionariorum in Sinis	105
Caput VI . Jus reale	121
Caput VII . Actus juridici	133
Caput VIII . Defensio juris	145
Bibliographia.....	167
Abbreviationes.....	172

Vol. 39-2

Praefatio	vii
Introductio	173
Caput I . De Fundamento Et Natura Potestatis Patriae In Jure Canonico	189
Caput II . Effectus Juridici Potestatis Patriae In Jure Canonico	205
Caput III . De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Canonico.....	219
Caput IV . De Fundamento Et Natura Potestatis Patriae In Jure Sinico	253
Caput V . De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Sinico, Antiquo	265
Caput VI. De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Sinico Vigenti	285
Conclusio.....	299
Bibliographia	309

Introductio

ARTICULUS I. DE JURE PEREGRINO IN GENERE

I. NOTIO

1. Nomen

Antiquis temporibus, cum communicatio inter diversae regiones ob difficultates locorum nondum superatas raro haberetur, emigratio civium et commercia erant haud facilla nec frequentia. In eodem itaque loco cives unius regni sub eadem potestate civili subque eadem norma juridica convivebant; propterea quaestio de norma juridica pro civibus in alieno territorio viventibus vix haberi potuit, vel si etiam exstiterit, facile componi valuit. Cum vero potestas imperii romani super diversas gentes multaque regna dominari incepisset, communicationes commodae et celeres constructae sunt ad uniendum vastissimum territorium. In jure igitur romano existit jus pro peregrinis; quod jus contradistinguitur a jure civili romano. Progrediente cum tempore hominum cultura communicatio inter differentes Civitates semper facilius reddita fuit ita ut his diebus natio, quae additum civibus alienae nationis claudere niteretur, inculta ab omnibus judicaretur. Neminem igitur latet cujusnam sit ponderis quaestio de norma juridica pro peregrinis in aliena Civitate commorantibus, si evitare cupimus quominus peregrini, viventes vel sine lege vel cum lege dubia, tum sibimetipsis tum Civitati hospitali quid detrimenti efferant.

Jus pro peregrino vel pro civibus alterius Civitatis diversis appellationibus ab jurisperitis denominatum est nec commune nomen ab omnibus nunc acceptum habet. Apud Civilistas hoc jus appellatur per saepe jus internationale privatum, necnon raro jus peregrinum; vel titulus pro nomine datur ((De vi atque virtute legis quoad loca vel spatia)); vel ((De conflictu legum)); vel etiam ((de applicatione juris)). Accidit saepe ut diversa nomina alicui scientiarum disciplinae conferantur, quando haec disciplina, omnibus respectibus nondum explo-

ratis, naturam qualitatesque suas lucide adhuc non manifestavit.

Cumque libertas seligendi nomen, quod nobis magis idoneum esse videatur, inter tantas discrepantias nobis faveat, tractationem nostram incipiamus a determinanda appellatione normae juridicae pro civibus alterius Civitatis.

Denominamus jus pro civibus alterius Civitatis ((Jus Peregrinum)). Clarissimus S. Romani lucidam explicationem, quam nostram facimus, huic appellationi dedit: ((Nam quod quaeque civitas pro externis, seu pro peregrinis, jubet ac constituit, profecto non inter nationes viget, sed in civitate, ex jure civitatis, nec dici potest jus internationale sed jus civile, lata sua significatione; cum tamen constitutum sit pro peregrinis, ideo appellandum videtur jus peregrinorum, seu, brevius, jus peregrinum, nam et Romani prisci praetorem peregrinis judicandis constitutum appellarunt, brevius, praetorem peregrinum. Quod nomen jus peregrinum illis quoque significandis juribus aptum est, quae conventis pactis constituta sint, et dicenda essent, origine quidem, jus internationale. Itaque nobis jus peregrinum est quo certa in civitate peregrini utuntur))⁽¹⁾.

Confusio vel dubium suscitari potest ob terminum ((Peregrinus)). Romani antiqui peregrinos appellabant eos, qui cives romani non erant neque Latini⁽²⁾, et consequenter tum jus politicum (ius suffragii et ius honorum) cum jus civile (jus connubii et jus commercii) eis non tribuebatur atque pro tutela juridica invocari tantum jus gentium

(1) S. ROMANI, *De norma juris*. Roma 1937, p. 386.

(2) ((I provinciali, siano membri di città suddite o di città federate, erano peregrini)), (PIETRO BONFANTE, *Istituzioni di Diritto Romano*. Roma 1934, Ed. X, p. 50). ((Nei diritto romano classico gli uomini liberi si distinguevano in cittadini e in peregrini (cives e non cives)...I latini erano una classe intermedia fra i cittadini romani ed i peregrini, e si distinguevano in Coloniani e Iuniani)) (FILIPPO SERAFINI, *Istituzioni di Diritto Romano*. Roma 1920, vol. I, p. 126-127), ((Orbene, per le controversie fra stranieri e fra romani e stranieri il magistrato competente fu, come si disse, a partire dal VI secolo il praetor peregrinus, giudici furono recumperatores. Quando al diritto applicabile, queste autorità giudicanti dovevano per regola ricorrere, non già al jus civile riservato ai soli cittadini romani, ma al jus gentium)). Cfr. GIULIO DIANA, *Diritto internazionale*, Milano 1939, II, p. 16.

poterat. Posterioribus vero temporibus appellatio ((peregrinus)) sumitur uti contradistincta ab appellatione ((incola)) et ((vagus)). Definitio classica horum terminorum invenitur in codice juris canonici: ((Persona dicitur: incola, in loco ubi domicilium, advena, in loco ubi quasi-domicilium quod adhuc retinet; vagus, si nullibi domicilium habet vel quasi-domicilium)) (can. 91).

In jure moderno civil distinctio inter incolas et peregrinos jam non multum attenditur pro civibus proprii Status; nam distinctio romana absoleta antiquataque jam evasit nec distinctio canonica semper accipitur. In jurs autem internationali distinctio haec invenitur, in diverso quidem sensu. In hoc enim jure peregrinus intelligitur homo qui in territorio alienae civitatis vivit sive cum domicilio sive cum quasi-domicilio sive sine utroque.

In nostro hoc tractatu peregrinus accipitur in sensu iuris internationalis.

II. NATURA

Si jurisperiti de appellatione juris peregrini nondum conveniunt, multo minus concordēs esse possunt quoad naturam hujus juris. Notamus imprimis quod haec juris disciplina non est quaestio de conflictu jurium, tradendo principia ad dirimendos conflictus exortos inter leges diversarum Civitatum ⁽³⁾. Conflictus enim jurium habetur, quando una lex applicari non potest, nisi aliam legem in eadem communitate vigentem laedat, nunc vero quaestio stat de legibus quibus peregrini sese conformare debent in suis actibus. Si disputatur adhuc de existentia legum earumque natura, disputatio haec nuncupari certe non potest quaestio de conflictu legum.

Neque exacte dicitur jus peregrinum esse de applicatione legum. In non paucis Civitatibus modernis jus peregrinum vel in codice juris civilis vel separatim sub titulo applicationis jurium promulgatum est. Dum vero jus non applicatur, nisi conditum fuerit, et applicatio juris

(3) HUBER, *De conflictu legum diversarum in diversis imperiis et de jure civitatis libtres.*, Francoforti et Lipsiae 1753. DICEY, *Digest on the conflict of laws* 1922 (London). STORY, *Conflict of Law*, Boston 1852.

in causis judicialibus ordinarie fit, jus peregrinum praecise agit de constituendis legibus pro peregrinis non tantum in judiciis sed in omnibus suis actibus juridicis. Quamobrem applicatio jurium uti appellatio hujus juris non accurate exprimit naturam ejus.

Neque plane repsondet naturae juris peregrini appellatio ((Jus internationale privatum)). Distinctio juris internationalis in publicum et privatum ⁽⁴⁾ a doctoribus ita describitur: ((Dicitur publicum si spectat relationes Statuum qua talium, privatum si spectat relationes subditorum plurium Statuum... Finis juris internationalis privati est determinare jura et officia subditorum diversorum Statuum in mutuis eorum relationibus... Major pars quaestionum juris privati non reguntur iure internationali, sed jure nationali singulorum Statuum. Singuli Status in suis codicibus habeni leges, quae referuntur ad extraneos; hae leges vocantur leges nationales externae, quae, proinde, non sunt confundendae cum legibus juris internationalis privati. Eadem sunt relationes, diversa est auctoritas legislativa)) ⁽⁵⁾. Nostrum quidem non est diffuse tractare de distinctione juris internationalis; praetereuntur etiam a nobis discussiones possint ne individua esse subjecta juris internationalis; sed affirmamus tantum appellationem juris internationalis privati non adaequate exprimere naturam juris quo peregrinus regitur. Etenim fons efficiens juris internationalis cum publici tum privati est consensus Statuum inter se contrahentium; leges vero, quibus peregrini reguntur, partim constitui possunt ex pactis internationalibus, partim, imo magna ex parte constituuntur ex ordinationibus principum singulorum Statuum. Continet igitur jus peregrinum duas partes legum quarum una est jus internationale privatum, altera pars est jus mere internum. Haec posterior priorem superat sive in quantitate sive

(4) PROSPERO FEDOZZI, *Il diritto internazionale privato*, Padova 1939. - NIBOYE I.P., *Manual de droit internat. prive*, Paris 1928. - AGO R., *Teoria del diritto internazionale privato*. Padova 1934.

(5) JOSEPH PASQUAZI, *Jus internationale publicum*, pars I. Roma 1935. p. 1. Cfr. NIBOYE I.P., *Manual de Droit internat. prive*. Paris 1928, p. I. ((Le droit international prive est la branche du droit public qui a pour objet de fixer la nationalite des individus, de determiner les droits dont jouissent les etrangers, de resoudre les conflits de lois relatifs a la naissance (ou a l'extinction des droits. et d'assurer, enfin, le respect de ces droits)).

in efficacia; ideoque pars potior in parte infirmiore comprehendi non sinitur.

Jus peregrinum, juxta significationem a nobis supra datam, denotat complexum jurium constituentium normam quandam juridicam quam peregrini in suis actibus observare tenentur. Hoc jus intra ambitum juris civilis comprehendi non potest, tangit enim jus publicum Civitatis necnon jus poenale et processuale. Quaestio de jure peregrino radicem suam abscondit in disputatione perdifficili de territorialitate et personalitate legum, germina protendit in alteram non minus perplexam discussionem de imperio exclusivo principis in suo territorio, postea evolvitur ad stabilienda principia juris pro actibus peregrinorum et tandem ad solvendas difficultates remissionis atque ultramissionis devenit.

ARTICULUS II. PRINCIPIA COMMUNIA JURIS PEREGRINI MODERNI

I. PRINCIPIA COMMUNIA

Cum commercia atque emigrationes inter Civitates hodiernis diebus fere quotidie eveniant, discrepantia juris peregrini magnum incommodum gravesque difficultates cum peregrinis tum iudicibus affert. Etenim peregrini propter facillimas communicationes negotia proprietatesve in diversis Statibus habere possunt eodem tempore, et confusionem necnon detrimentum pati saepe coguntur, cum ipsi pro eadem relatione juridica diversis juribus subijciuntur. Desiderium igitur est omnium ut quaedam uniformitas tam in studiis quam in codicibus tandem adveniat.

Breviter evolutionem doctrinalem juris peregrini percurrentes, videre atque aestimare possumus praeclarissimorum magistrorum conamina, qui, indefessis viribus viam posteris elucidare sategerunt; laudes nonstras etiam tribuamus doctoribus qui forti animo defatigaverunt in Congressibus internationalibus ut unitas juris peregrini in toto orbe terrarum mirifice manifestetur in legibus ⁽⁶⁾. Hic nos fruc-

(6) GIANNINI A., *Convenzioni di diritto internazionale privato*. Milano 1928.

tus majorum colligentes principia juris peregrini communia exponamus, quibus explicationes quasdam addere studebimus.

1. Rationes quae concurrunt ad efformanda principia

Monendum inprimis est quod unica ratio non sufficit nec sufficere potest ad efformanda juris peregrini principia communia; concurrere debent multiplices rationes tum ex natura potestatis vel jurisdictionis legiferae et legis cum ex subjecto passivo.

A. Potestas legifera

Haec potestas est functio quaedam auctoritatis quae principi societatis a natura confertur ad dirigenda omnia membra adque coordinanda universa media in ordinem consecutionis finis communis. Potestas igitur ista exercetur a principe societatis et cadit directe in membra societatis et indirecte in omnia media. Cives unius Civitatis quatenus membra societatis subjiciuntur directe potestati legiferae sui principis; territorium quidem non est elementum essenziale societatis sed est medium necessarium (sine qua non) pro Statibus modernis et qua tale, subjicitur tantum indirecte potestati legiferae principis. Propterea potestas legifera characterem magis personalem quam territorialem habet et consequenter peregrini per se non cadunt sub potestate loci commorationis ⁽⁷⁾.

B. Natura legis

Lex est rationalis ordinato a principe societatis promulgata ad consequendum bonum commune. Natura juridica legis consistit in ordinatione obligatoria data alicui communitati. Ordinatio a principe communitati data obligat directe ipsam communitatem quae ex suis membris coalescit, non vero ex territorio nisi uti conditione sine qua non. Consequens est quod lex in natura sua magis person-

(7) ((Utrum vero, si in eo loco versantur (peregrini) quasi in termino, flant subditi ejus loci, prout advenae, non satis conveniunt: nonnulli affirmant, et S. Alphonsus videtur satis probabile, communis negant; et recte)). (D'ANNIBALE, *Summa Theologiae moralis*. Roma ed. III. vol. I. n. 86).

alis est quam territorialis, sed in ordine practico potest esse diversa propter commoditatem. Peregrini igitur per se legibus loci commorationis non subsunt (8).

C. Finis legis

Finis legis est consecutio boni communis. Bonum commune, quod finem consociationis constituit, dat rationem qua aliquae lex promulgatur. Ad obtinendum vero finem legis, obligatio ejus efficax sit oportet quoad omnes qui ad bonum propositum vel directe concurrere vel directe illud impedire possunt, secus finis legis frustrabitur. Illi, qui directe concurrunt ad bonum propositum legis, sunt membra ipsius societatis; illi qui directe impedire possunt bonum propositum, sunt omnes qui degunt in ipsa societate. Attamen omnes leges, etiamsi pro suo fine bonum commune semper habeant, non eodem modo neque pari gradu ad illius consecutionem tendunt; sunt etenim leges quae directe ad bonum commune societatis consequendum ordinantur, sunt etiam leges quae directe ad bonum individuale ordinantur, sunt etiam leges quae directe ad bonum individuale ordinantur et ad bonum commune indirecte tantum. Leges pro bono communi directe datae absolutam executionem exigunt et obligant omnes, qui intra communitatem vivunt, et omnia membra extra communitatem degentia, quia istae leges primario respiciunt communitatem qua talem, cujus bonum promovere ac defendere conantur leges, secundario respiciunt subjecta passiva sua. Bonum communitatis promovere ac defendere tuto non possunt leges nisi ipsae absolutam et universalem obligationem secumferunt pro omnibus suis membris et peregrinis; etenim tam hi quam illi bonum communitatis defraudare valent.

(8) ((Per se leges natura sua territoriales non debent esse, seu territorialitas non est qualitas essentialis legum; nam leges natura sua non aliud exigunt nisi ut ferantur communitati perfectae; atqui possunt esse societates perfectae quae sint personales et carent territorio; istis igitur communitatibus leges non erunt territoriales; imo etiam leges communitatum territorialium sunt primario regula vel mensura actuum humanorum... Quare potius ex causis extrinsecis leges habentur territoriales)). (P. MAROTO, *Institutiones* I. C. Roma ed. III, p. 179).

D. Objectum legis

Hic objectum legis intelligitur a nobis id quod directe sub legem cadit; lex enim tendit semper ad tuendum aliquod jus; jus ergo est objectum legis. Jus potest esse personale aut reale, prout subsistit in aliqua persona vel in aliqua re. Idcirco objectum legis est vel persona vel res. Ut autem lex sit ordinatio rationalis, lex debet adaptari suo objecto i. e. vel personae vel rei; personae vero et res in societate multis diversisque conditionibus afficiuntur; ad quas condiciones lex attendere debet. Propterea leges positivae de personis vel de rebus differentes habentur in singulis Statibus. In jure peregrino principium de convenientia legis ad suum objectum servari etiam debet, in quantum non contradicit alii principio altiori.

E. Leges personales

Ex supra dictis de relatione legum quoad personas et territorium emanat quaestio de lege personali et territoriali. Lex in genere per se nec est exclusive personalis nec exclusive territorialis; sed de facto aliquae leges possunt esse personales, aliquae territoriales. ((Porro olim ardebat quaestio num lex natura sua sit personalis an territorialis, lex scilicet quae subditum attingat immediate an per territorium, atque adeo num eum teneat ubique an dumtaxat intra principis territorium; communis sententia favebat territorialitati legis; ei adhaeret Codex juris canonici, non tamen sine discrimine, jubens legem ecclesiasticam non praesumi personalem sed territorialem nisi aliud constet (can. 8 § 2); ideoque reor etiam in jure orientali))⁽⁹⁾.

Quaeritur igitur, quatenus sint leges personales? Doctores jurisperiti communi ore respondent: leges personales sunt leges quae directe personam afficiunt eamque sequuntur ubique; leges territoriales sunt illae leges quae personam non sequuntur extra territorium. Ulteriores quidem quaestiones proponi possunt: quaedam sunt leges quae personam sequuntur ubique et cur istae leges personam sequuntur et non aliae?

(9) S. ROMANI, *Institutiones* I. C., Roma 1941, vol. I, p.82.

Ratio, cur quaedam leges personam sequuntur extra suum territorium, ultimatim non reperitur in voluntate legislatoris, quia sunt aliquae leges, quae, non obstante contraria voluntate principis, subditum suum in alieno territorio degentem sequi non possunt; ratio igitur ultima inveniri debet in ipsa natura legis. Cum lex pro suo objecto habeat defensionem juris sive communitalis sive privati, necesse est ut ex objecto et ex fine legis profluat intima ratio legis personalis. Quando finis legis consistit in quodam jure communitalis et consecutio finis exigit ut subditus, prout casus fert, vel actus ponat vel sese ab agendo absteineat ubicumque ipse degat: tunc lex ista non limitatur intra ambitum sui territorii, sed subditum sequitur eumque ad adimplentionem cogit ubique; nam obligatio talis legis in omnibus locis efficax haberi debet pro suis subditis. Deinde quando finis alicujus legis consistit in aliquo jure privato et fundatur in qualitatibus personalibus et objectum ejus secumfert obligationem tantum personalem, tunc lex ista attingit directe personam et sistit in persona sicut capacitas agendi; talis lex est personalis.

Si magis ad concretum accedimus, possumus dicere leges personales esse eas: a) quae pertinent ad jus publicum et si non observantur a suo subdito e territorio absentem, communitas detrimentum patitur v.g. tributa, conscriptio obligatoria militaris...; b) quae pertinent ad jus privatum ordinis privati, propterea magis dependent a voluntate privata; c) quae pertinent ad jus privatum ordinis publici et ad statum personalem, propterea adhaerent personae.

2. Principia communia

A. Principium juris patriae

Jus patriae regit statum civilem peregrini. ((Status civilis hic sumitur in sensu qui denotat complexum jurium personalium quibus persona constituitur ac definitur, jura scilicet libertatis, civitatis ac familiae, tum adminicula sexus, domicilii, deminutionum capitis omne genus, capacitates juris, tum habendi cum etiam exercendi, ideoque et utraque testamentificatio, tum activa cum etiam passive; quinimo et res mobiles, quae nos sequuntur quocumque locorum; quae omnia

igitur demetiri oportet ex jure civili proprio peregrini)) (10).

B. Principium juris loci rei sitae

Jus loci rei sitae regit res immobiles. Omnia quibus utimur aut uti possumus, media ad nostrum ultimum finem, latissimo sensu appellantur bona, et in jure bona et res idem significant et promiscue adhibentur⁽¹¹⁾.

Quattuor genera enumerantur rerum immobilium; sive natura, sive incorporatione, sive destinatione, sive analogia.

Principium juris loci rei sitae docet pro rebus observandum esse jus loci in quo res sistit. Quod principium jam a Majoribus juris internationalis privati propugnabatur et nunc generatim recipitur a jurisperitis. Discussio vero de applicatione hujus principii ad res mobiles non omnino est absoluta, sed opinio hoc principium applicari tantum ad res immobiles affirmans praevalet apud juristas civiles.

C. Principium juris loci actus

Jus loci actus regit actus formam ejusque valorem atque effectus. Actus juridici sunt illi actus humani qui relationes juridicas vel producunt vel mutant vel extinguunt: qui actus possunt esse vel liciti vel illiciti; illi dicuntur negotia juridica, hi appellantur delicta vel quasi-delicta. Cum negotium juridicum sit manifestatio voluntatis conformis legi positivae intendens ad constitutionem, modificationem vel extinctionem juridicae relationis, subest proinde praescriptionibus juris positivi et in requisitis ad validitatem et in effectibus producendis, tam in forma quam in defensione. Neque aliter se habet actus illicitus, qui relate ad responsabilitatem et ad reparationem a jure positivo dependet. Accidere nunc potest et non raro de facto accidit ut praescriptiones juris positivi circa haec omnia differentes sint in codicibus singulorum Statuum. Principium igitur enuntiatur statuit actum regi jure loci

(10) S. ROMANI, *De norma juris* (Roma 1937), p. 450.

(11) ROMANI, *De bonis Ecclesiae temporalibus*, Roma 1937, p. 336 sq.

in quo actus fit. Cum vero elementa actus diversis gradibus ordini publico loci actus intersint, applicatio hujus principii modo absolute modo libere procedit. Forma actus regitur semper jure loci actus; jus pro requisitis proque effectibus in contractibus a voluntate contrahentium dependet; in aliis actibus jus loci actus semper praevalet, si jus positivum aliter statutum non fuerit.

D. Principium ordinis publici ac bonorum morum

In omnibus salvantur semper ordo publicus et boni mores loci commorationis.

Principium praesens magnum pondus sibi vindicat in jure peregrino necnon graves exceptiones statuere potest relate ad principia supra exposita. Quaestio sive de statu civili personae, sive de rebus, sive de actibus, quando intervenit timor quominus ordo publicus vel boni mores aliquid detrimenti capiant ex applicatione legis exterae, tunc praeferendum semper est jus loci in quo peregrinus commoratur.

Si obvium ac evidens videtur esse hoc principium, obscura tamen et vega habetur interpretatio terminorum ((Ordo publicus)) et ((Boni mores)). Cum sensum materiale et finem termini ((ordo)) inquirimus, percipimus ordinem significare bonam dispositionem vel ordinatam juxtapositionem partium ut communis pax et tranquillitas securitasque habeantur. Inde ordo publicus societatis intelligit bonam dispositionem partium societatis et ut communis tranquillitas ac securitas habeantur in ipsa societate. Quid-quid ergo ad tuendam tranquillitatem ac securitatem socialem sese confert, pertinet ad ordinem publicum. Quamobrem ordo publicus non est confundendus cum jure publico; prior terminus enim latior patet quam posterior.

Mos significat modum vivendi continuum ac universalem a Majoribus traditum et nunc in societate vigentem. Dicitur bonus mos: non intelligitur tantummodo de moribus bonitati naturali conformibus, sed etiam bonitati supernaturali. Si vero quaeritur quomodo boni mores in Civitatibus paganis aestimentur; procedi debet primo ab existentia alicujus moris et deinde a conformitate hujus moris ad leges naturales. ((Cum enim Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex:

qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum...)) (12).

ARTICULUS III. DE REMISSIONE

I. NOTIO

Cum jus peregrinum in modernis codicibus juris civilis consideretur uti applicatio juris in judiciis, quaestio nata est de remissione deque ultramissione juris. Quaestio tamen haec non est confundenda cum quaestione de receptione juris; receptio enim juris intelligitur de insertione juris exteri in codicem juris interni ita ut jus exterum insertum fiat jus internum atque observandum sicut ceterae leges; applicatio vero juris exteri indicat jus quod iudex in certis causis decidendis observare debet, et vocari potest simplex missio quia iudex in his causis cognoscendis mittitur a jure proprio ad externum alicujus Civitatis jus, secundum quod iudex causam decideret. Remissio habetur quando jus exterum ad quod iudex a jure propriae patriae mittitur, eum remittit ad jus patriae. Fieri etiam potest ut jus exterum ad quod iudex mittitur prima vice, eum mittit ad jus tertiae Civitatis; tunc habetur transmissio; si jus tertiae Civitatis iudicem iterum remittit, vel ad jus patriae ejus, vel ad jus a quo secunda vice remittitur iudex, vel ad jus alterius Civitatis, tunc habetur ultramissio.

II. SOLUTIO QUAESTIONIS

Quid nobis est dicendum? In primis videndum est id quod statutum est in jure positivo uniuscujusque Civitatis: si in codice clare dicitur: ad jus substantivum vel ad jus normativum iudex mittitur, tunc disputatio erit otiosa; si vero in codice nihil habetur vel habetur quid obscure, tunc quaestio solvenda erit secundum praeteritum internationale tribunalium.

Si interrogamur, quid circa hanc disputationem in ordine theoretico nos sentiamus, respondere non haesitamus mentem nostram incli-

(12) *Epist., ad Romanos*. II. 14-15.

nari ad jus substantivum. Nam in principio tractationis jam notavimus jus peregrinum non esse complexum normarum de applicatione juris in judicio sed esse normam juridicam agendi peregrinorum. Si jus peregrinum concipitur ut norma agendi, quaestio de remissione vel ultra-missione existere nequit, quia jus exterum accipitur pro peregrinis non per applicationem juris sed per receptionem juris, ita ut jus exterum fiat jus internum, pro peregrinis quidem tantum observandum. Praeterea in paragrapho de rationibus principiorum attente examinavimus rationes juridicas propter quas peregrini, aliquando observare debent jus patriae, aliquando jus loci rei sitae, aliquando jus loci actus, aliquando jus loci commorationis; ideoque quando legislator dicit in casu jus patriae peregrinum vel jus loci rei sitae vel loci actus esse observandum, plane intelligi debet de jure substantivo civili, sin minus ratio juridica non salvabitur neque finis legis obtinebitur.

ARTICULUS IV. JUS PEREGRINUM IN JURE CANONICO

I. NOTIO

Praetermissa introductione de jure peregrino in genere nunc progrediamur ad jus nostrum canonicum, inquirendo de principiis, quae jus peregrinum canonicum constituunt, ut elementa ad jus peregrinum missionarium efformadum colligi possint.

Ecclesia Christi, utpote ex divina institutione una universalis-que pro toto genere humano et subjecta monarchicae auctoritati Romani Pontificis, in sinu suo quaestionem de jure peregrino sicut in jure internationali civili agitare non potest; nullus enim fidelis nomen peregrini sortitur respectu ad potestatem Vicarii Christi, neque ullus sese substrahere valet ab efficacia legum universalium ecclesiasticarum. Nam codex J.C., doctrinam dogmaticam comprehendens, statuit: ((Romanus Pontifex... habet... supremam et plenam jurisdictionis potestatem in universam Ecclesiam... Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulos ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independents)) (can. 218).

Opinari aliquis fortasse potest infideles respectu ad potestatem pontificiam esse veluti peregrinos. Sed, re profundius examinata, talis opinio veritati objectivae non perfecte correspondet. In jure civili omnes Status civiles sunt societates perfectae pares ejusdem ordinis; quando quaestio de peregrinis agitur, Status suum imperium vindicat in suo territorio contra ingerentiam alterius Status et per jus suum peregrinos regere conatur. Ecclesia autem et Status civilis non sunt aestimandi uti societates pares, quia prior praeest posteriori ratione finis altioris, et hae duae societates imperium suum dividunt non per territorium sed per personam subditam. Infidelis ante receptionem baptismi nunquam directe cadit sub jurisdictione Ecclesiae; si vero cadit sub jurisdictione ecclesiastica ratioe indirecte, tunc jus ecclesiasticum praevalere semper debet.

Multo magis haeretici et schismatici nuncupari peregrini quoad potestatem pontificiam romanam nequeunt; isti enim omnes post validam receptionem baptismi fiunt subditi Ecclesiae Christi et subjiciuntur legibus universalibus a Romano Pontifice promulgatis, nisi aliter statuerit ipse legislator.

Exclusa quaestione de jure peregrino in proprio sensu, datur in jure canonico quaestio de jure peregrino in sensu lato. Cum enim Ecclesia Catholica sub potestate suprema Romani Pontificis constituta in numerosas divisiones cum proprio pastore legifero subdividatur, fideles unius divisionis, in territorio alterius divisionis commorantes, extranei sunt respectu ad jurisdictionem loci commorationis et vocantur peregrini. Appellatio ((peregrinus)) in jure canonico, uti notavimus, alia habetur ac in jure internationali; cum peregrini in jure canonico sint subditi ejusdem auctoritatis supremae. Propterea quaestio de jure peregrino non potest haberi quoad leges universales, quae omnes pro quibus datae sunt obligant, sed tantum quoad leges locales. Attamen licet differentia adsit, principia juridica juris peregrini civilis applicantur etiam in jure nostro.

Antiquis in temporibus Decretistae et Decretalistae quaestionem de obligatione peregrinorum atque absentium non neglexerunt eamque conati sunt solvere juxta principium territorialitatis. Quae opinio

tenens submissionem peregrini ad leges particulares loci commorationis diu viguit et a Suarez ⁽¹³⁾ aliisque pluribus canonistis ac theologis propugnabatur. Attamen contraria opinio inde a saeculo XVII magis floruit et devenit communior doctorum saeculo XIX. Peregrini per se non tenentur leges particulares loci hospitis observare, quia sunt in territorio, sed non de territorio; isti tamen indirecte tenentur aliquibus statutis localibus tum ratione scandali tum ratione contractus et rei sitae. Codex juris canonici, principia communia juris peregrini civilis moderni sequens, doctrinam Majorum aliquantulum mutavit ⁽¹⁴⁾.

II. PRINCIPIA COMMUNIA

1. Peregrini observare debent leges particulares loci commorationis quando ordo publicus vel boni mores loci talem observantiam exigunt (can. 14, § I, n. 2).

Codex noster, postquam principium hoc annuntiavit, ad casus particulares non descendit, sed relinquit doctoribus et iudicibus ad consequentias concretas inde deducendas. Nimius esset labor nec non infructuosus, si intenderemus omnes casus concretos hujus principii determinare. Conamur tantum ad modum exempli quosdam casus adducere, qui in codice juris canonici jam enumerantur, quamvis non explicite.

Opinamur, quando codex juris canonici imponit observantiam legum Ordinarii loci faciendam esse a religiosis exemptis, imponi quoque observantiam illarum legum peregrinis; can. 1261, 512, 1279, 1293, 1274, 612, 831, 1381, 1382, 1378, 1345.

Supra enumerati casus pertinent ad ordinem publicum; quod ad defensionem bonorum morum, codex affirmat jus Ordinarii loci etiam supra religiosos exemptos et consequenter supra peregrinos; can. 616 § 2: ((Si extra domum delictum commiserit nec a proprio Superiore

(13) F. SUAREZ, *Tractatus de lege L. III. c. 33.* (Parisiis 1856, tom. V. p. 303-307).

(14) VAN HOVE, *De legibus eccles.* Mechliniae 1930, p. 124-127.

praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint)) et can. 307 § 2: ((In casu autem publici scandali possunt ipsi (Ordinarii loci) audito consilio et si agatur de religiosis, praemonito, in quantum fieri potest, Superiore, missionarium statim remove, facta tamen illico certiore Apostolica Sed)). cfr. etiam can. 617.

Quando loci Ordinarius pro custodia bonorum morum prohibet clericos vel fideles certis conventibus intervenire vel certos locos adire, religiosis exemptis neenon peregrinis incumbit obligatio obsevandi has prohibitiones.

2. Peregrini tenentur observare leges particulares loci rei sitae. Canon 726 definit sensum termini ((Res)), dicens: ((Res de quibus in hoc libro agitur quaeque totidem media sunt ad Ecclesiae finem consequendum, aliae sunt spirituales, aliae temporales, aliae mixtae)). De rebus spiritualibus leges universales uniformiter cavent pro tota Ecclesia; tamen non absolute excluduntur leges quaedam particulares; quae leges si qua sint, peregrini eas observare tenentur, e.g. circa calendarium ecclesiae in qua quis sacrificium litare cupit, circa dispositionem pro concione habenda et circa administrationem sacramentorum.

Pro rebus mixtis, speciatim pro beneficiis, principium de jure loci rei sitae plane admittitur. Nam tum quoad electionem et praesentationem beneficiarii, tum quoad fundationem beneficiorum et patronatum, codex juris canonici large indulget juribus particularibus. Relate ad hos omnes casus, si peregrinus quandam partem habet, leges particulares loci rei sitae sancte observet oportet ipse.

Pro rebus temporalibus codex juris canonici vel dat praescriptiones proprias vel recipit praescriptiones juris civilis respectivae nationis. In primo casu, si codex jus particulare admittit, et de facto quaedam lex particularis existit, sicut de stipendio Missae, de tributis solvendis in tribunalibus... peregrini has leges observandi obligatione tenentur. In secundo casu codex recipiendo jus civile sequitur etiam principium juris loci rei sitae a civilistis admissum.

Hoc principium confirmatur quoque in codice, quando codex

statuit de competentia tribunalium: ((Ratione rei sitae pars conveniri potest coram Ordinario loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa sit)) (can. 1564). ((Forum necessarium habent: A. Actiones de spolio coram Ordinario loci rei sitae; B. Causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale, coram Ordinario loci beneficii)) (can. 1560). Ratio qua codex competentiam horum tribunalium statuit, invenitur in hoc quod iudex loci rei sitae melius cognoscit jus loci.

3. Quoad actus, peregrini sequi debent leges loci actus exceptis contractibus pro quibus peregrini jus sibi observandum eligere valent. Pro contractibus jus canonicum, salvis salvandis, jus civile respectivae Civitatis recipit. Cum in jure civili fere omnium Civitatum voluntas paciscentium pro electione juris quo contractus regitur, praefertur ceteris juribus, idem servari debet in jure canonico. Ceteroquin in codice juris canonici non desunt indicia quae admissionem hujus principii in nostro jure indubie demonstrant. Canon enim 31 § 2 dicit: ((Quod attinet ad tempus urendi contractuum obligationem, servetur, nisi aliter expressa pactio conventum fuerit, praescriptum juris civilis in territorio vigentis)). Expressa igitur pactio contrahentium praevalet legi civili quoad temporis supputationem. Et n. canone 1565 § 2, dicitur: ((In actu autem contractus permittitur contrahentibus, obligationis declarandae cogendae vel implendae gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint)).

Relate ad ceteros alios actus juridicos leges loci actus etiam observantur a peregrinis, sicut pro actibus illicitis ita statutum est: ((Ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti. Licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci jus habet illum citandi ad comparandum et sententiam in eum ferendi)) (can. 1566).

Proinde jam possumus concludere in jure canonico jus peregrinum simile esse ac in jure civili quoad ea quae ad principia communia referuntur, salva semper natura differentia juris canonici. Jus etenim canonicum, dum agit de jure peregrino, non intendit tradere completam normam novam juridicam pro peregrinis, cum peregrini in agendo normam e legibus universalibus sumere jam possint. Quaestio ergo de jure peregrino in Ecclesia non fit nisi de paucis legibus particu-

laribus. In jure civili quaestio differenter perhibetur, quatenus versatur ad constituendam quandam normam novam et completam pro civibus alienae Civitatis; isti enim cives qui sese degunt extra propriam patriam, secum ferre non possunt jus propriae patriae nec sese submittere queunt omnibus legibus Status commorationis. Quamobrem constituenda est norma propria juridica, quae actus peregrinorum regat.

Caput I

Jus Peregrinum Missionarium

Clara omnino apparet omnibus illa distinctio quae distinguit jus missionarium in genere a jure peregrino missionario: illud enim tractat de normis juridicis missionariorum in jure ecclesiastico, hoc de normis missionariorum in juribus civilibus. Missionarii in suis vicariatibus vel praefecturis apostolicis non possunt aestimari peregrini versantes extra locum proprii domicilii vel quasi-domicilii, sed sunt in proprio territorio sub potestate proprii Ordinarii loci. Quando vero aliquod jus particulare datur missionariis, jus hoc non constituit jus peregrinum missionarium, quia jus datum est non ratione personae, quatenus missionarii veluti peregrini, sed ratione rei, quatenus missionis. Ideoque jus peregrinum missionarium non intelligitur in respectu ad ius ecclesiasticum: sed intelligitur in respectu ad jus civile, quia missionarii, relate ad auctoritatem civilem terrae missionis, sunt veri peregrini sensu juris internationalis accepto, scilicet cives alienae Civitatis. Quaestio proinde exsurgit de norma agendi missionariorum uti civium alienae Civitatis in juribus civilibus. Ad hanc quaestionem solvendam conamur efformare jus missionarium peregrinum, quod proinde est complexus normarum juridicarum missionariorum in juribus civilibus.

Neque verum est quod missionarii, uti cives exteri, quoad jura civilia observare debent jus peregrinum quod datum est omnibus peregrinis a gubernio terrae missionis. Etenim in unica persona missionarii adsunt duo characteres personales: character ecclesiasticus civilisque character et hi duo sese compenetrantur inter se; propterea missionarius, uti civis exterus, quoad jura civilia non est in omnibus aequiparandus cum ceteris peregrinis negligendo characterem personae ecclesiasticae. Ut jus peregrinum missionarium perfecte ac complete constitui possit, elementa juridica ex jure canonico, atque ex civili jure seligi oportet. Interventit jus ecclesiasticum, quia Ecclesia exercitia jurium

civilium missionariis restringere vel moderari potest, sive per leges communes, sive per leges speciales, sive per pacta internationalia seu concordatum. Interventit jus civile, quia Civitates, tum patria missionariorum tum Status loci missionis, jurisdictionem super missionarios exercentes relate ad jura civilia, valent leges proferre pro exercitio jurium civilium, sive de propria potestate sive de concessione Romani Pontificis. De his omnibus in praesenti capite discurremus.

ARTICULUS I. JUS ECCLESIAE IN MISSIONARIOS

I. MISSIONARII DEPENDENT AB AUCTORITATE ECCLESIASTICA

1. Missionarii uti clerici

In inquisitione de ecclesiastica jurisdictione in missionarios divisio fiat oportet ut expositio majorem lucem recipere possit; nam disquisitio ex duobus capitibus procedere potest, tum ex ministerio missionariorum tum ex privilegio fori missionariorum.

A. ex capite ministerii missionariorum

Ecclesia vindicat ob voluntatem sui Fundatoris divini officium ac jus sibi suisque ministris ad praedicandum Evvangelium omnibus gentibus; inde statuitur etiam in canone 1322: ((Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto jugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret. — Ecclesiae, independentem a qualibet civili potestate, jus est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi: hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur)).

Vindicat praeterea Ecclesia sibi jus inviolabile administrationis sacramentorum et regiminis hierarchici; propter quod Ecclesia, constituta uti societas perfecta, ad finem suum prosequendum socialiter procedere debet. In codice juris canonici solemnes affirmationes de hoc jure passim inveniuntur (can. 1327, 1328, 1352, 1375, 1260, 1016, 731, 1495, 218, 215, 329, 335).

Dependentia missionariorum ab auctoritate ecclesiastica in omnibus supradictis rebus non definitur praecipue ratione personae, sed ratione ministerii, quia omnes et singulae personae, quamvis non sint clerici, si partem habere volunt in his rebus, jurisdictionem ecclesiasticam amplecti obligantur.

B. ex parte privilegii fori missionariorum

((Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit)) (can. 120 § 1). Huic privilegio certo certius gaudent missionarii, qui secundum definitionem ab Ecclesia datam ((sunt sacerdotes a Sede Apostolica mediate (i.e. mediante societate religiosa cujus missionarius est membrum), vel immediate missi, ad fidem Christi infidelibus praedicandam, et ad eam fidem in jam conversis excolendam sub dependentia Vicarii vel Praefecti Apostolici, aut Superioris missionis))⁽¹⁾. Tamen Ecclesia, conscia de immensi laboris missionis et sollicita de auxilio sacerdotibus praebendo, mittit ad missiones operarios quam plurimos, qui dignitate sacerdotali non sunt ornati et titulo ((missionarius)) lato sensu decorantur. De privilegio fori istorum missionariorum non sacerdotum quaestio non aliter habetur quam quaestio de privilegio fori religiosorum laicorum; nam missionarii laici sunt religiosi utriusque sexus. In jure communi privilegium fori extenditur ad omnes religiosos tum ordinum tum congregationum necnon ad societates sine votis (can. 614) ⁽²⁾.

2. Jus et officium Ecclesiae ad protegendos missionarios

Cum Ecclesia Catholica, materno affectu ducta, ab impugnationibus, periculis detrimentisque tam internis quam externis proprios filios omni nisu defendat, majori cum sollicitudine, pluribusque cum mediis ipsa protegere debet suos missionarios, qui missi sunt in terras

(1) PCS n. 89, p. 55.

(2) P. MAROTO, *Institutiones I. C.* (Roma ed. III), p. 600-605.

in quibus tum propter odium fidei tum propter conflictus politicos multiplicia eis pericula adesse possunt. Sedes Apostolica nunquam deficit in his specialibus curis quas documenta pontificia continue attestantur.

Ecclesia in protectione procuranda imprimis quidem respicit bonum ministerii sacri, ut id in tuto collocetur, sed attendit etiam, in quantum fas est, ut jura civilia missionariorum incolumia remaneant.

3. Missiones unice dependent ab auctoritate ecclesiastica

Nomen ((missio)) intelligi potest in diversis significationibus: nam missio significare potest complexum universorum operum Evangelii praedicandi in terris infidelium; significare etiam potest totam missionum terram in qua hierarchia constituta non est, vel etiam, si hierarchia constituta sit, res adhuc aliquid imperfecti praeseferunt; significare denique potest diversas terrae missionum partes quae reguntur ab eis qui vicem Romani Pontificis tenent. Hic nos speciatim consideramus missiones sub significatione ultima, de partibus terrae missionum. Imprimis jurisdictio, quae paesidet his partibus, penes Romanum Pontificem est. Quapropter missiones, licet regantur a missionariis exteris, considerari nequeunt tamquam associationes peregrinorum, multo minus confundi possunt cum iis.

Cum vero non raro accadat ut missio catholica a gubernio terrae missionum recognoscatur uti associatio religiosa peregrinorum et subiuciat legibus datis pro talibus associationibus, et aliquando pejus accadat ut missio catholica consideretur ut associatio talis nationis exterae cujus nationalitatem missionarii secumferunt, grave periculum pertinaxque obstaculum inde exsurgunt missionibus catholicis ex ista perniciosa confusione. Omnes conatus in his casibus sunt faciendi ut missiones catholicae ad suum sensum genuinum reducantur; et si obtineri non potest ut praescriptiones juris canonici plenum vigorem habeant, nitendum est saltem ut missiones catholicae a gubernio terrae missionum considerentur uti associatio peregrinorum distincta ab omnibus Statibus civilibus et subjecta directe auctoritati Romani

Pontificis. In evitandis his scopulis Ecclesia nonnunquam imponit missionariis ut quaedam sua jura civilia abjiciant.

II. CONCORDATUM

Mos est pactum fieri internationale, si quando duo vel plures Status relationes inter se pacifice et secure moderari cupiunt; hic mos non est alienus Ecclesiae, quae societatis perfectae qualitibus ac juribus gaudens, pactum cum civilibus guberniis inire valet ad dirimendas vel praecavendas quaestiones. Cum missiones et missionarii ab ecclesiastica auctoritate dependentes, plurimas et complexas relationes cum Statibus contrahere possint, Ecclesia igitur saepe quaerit concordiam mediante concordato cum civilibus guberniis. Nemo potest negare capacitatem Sanctae Sedis ad ineundum concordatum cum Civitatibus de rebus ecclesiasticis sive in terris hierarchice constitutis sive in terris missionum ⁽³⁾. Pro rebus missionalibus Sancta Sedes duplici via, scilicet vel cum Civitatibus missionarios mittentibus vel cum Civitatibus terrae missionum, concordatum inire solet ad finem imponendum omnibus quæstionibus.

Praetermittimus concordatum quod de jure publico et jure privato Ecclesiae tractatur, quaerimus tantum de concordatis quae jura civilia seu ius peregrinum missionarium tangunt.

Quaeritur valeatne Summus Pontifex convenire cum aliquo Statu de norma juridica missionariorum quoad jura civilia? Anno 1940 die 9 mensis Maii, duo concordata Sanctam Sedem inter et gubernium Lusitanorum inita sunt quorum unum appellatur concordatum missionarium, cujus objectum versatur circa opus missionale in colonis lusitanis. Articulus 2 hujus concordati missionarii claris verbis statuit normam juridicam missionariorum relate ad jura civilia, dicens: ((Gli Ordinari delle diocesi e delle circoscrizioni missionarie, quando non vi siano missionari portoghesi in numero sufficiente, possono d'accordo con la Santa Sede e col Governo, chiamare i missionari esteri,

(3) ALP. OTTAVIANI, *Institutio juris publ. eccles.*, vol. II. Romae 1936, p. 322 sq.

che saranno ammessi nelle missioni dell'organizzazione missionaria portoghese, a condizione che dichiarino di sottomettersi alle leggi ed ai tribunali portoghesi. Tale sottomissione sara quale si couviene agli ecclesiastici)) (4).

In hoc articulo directe tractatur de admissione missionariorum exterorum in colonias Lusitaniae et admissio conceditur a gubernio lusitano sub conditione ((quod missionarii exteri sese submittunt legibus et tribunalibus lusitanis)). Idcirco Sancta Sedes pacta est cum Lusitania ut missionarii exteri in coloniis lusitanis observent jus civile lusitanum relate ad res civiles.

((A facto ad posse valer illatio)): cum Sancta Sedes in suis juribus fundamentalibus adhibendis falli non possit, concludere igitur debemus Romanum Pontificem jus habere ad regulanda jura civilia missionariorum. Dubium fortasse excitatur in quibusdam civilistis; nam videtur Summus Pontifex hoc facere non posse, quia missionarius, qui suam nationalitatem non amisit nec ei renuntiavit, in materiis civilibus dependet a potestate civili patriae suae potius quam a Sancta Sede. Propterea quod ad normam juridicam missionariorum pro rebus civilibus Civitas, Patria, agere debet cum Civitatibus terrae missionum. Attamen Romanus Pontifex pleno jure normam juridicam istam constituere missionariis valet: etenim missionarii magis dependent a Romano Pontifice quam ceteri clerici in patria degentes; ipsi enim familiam patriamque deserentes servitio praedicandi Evangelium unice sese manciperunt et sunt missi ad terram missionum ab auctoritate pontificia. Quamobrem Romanus Pontifex de tota persona missionarii disponere potest et consequenter etiam de juribus ejus civilibus. Praeterea missionarius, missus a Romano Pontifice et laborans sub ejus dependentia, tutelam ab eo recipere debet. In multis vero casibus concordatum, de juribus civilibus missionariorum agens prae-cautiones considerat medium necessarium ad melius tuendam libertatem et vitam missionariorum. Nec infima est ratio illa quae adjudicat jus Summo Pontifici concordatum de juribus civilibus missionario-

(4) A.A.S. vol. XXXIII, n. 7. p. 237.

rum ineundi cum Civitatibus ad praecavendum vel tollendum praejudicium contra religionem adque procurandam tutelam missionibus necessariam.

Concluditur igitur quod Romanus Pontifex in concordatis non tantum de rebus ecclesiasticis sed etiam de juribus civilibus missionariorum convenire potest licite et valide; in prioribus rebus Summus Pontifex agit jure suo directo, in potesterioribus jure suo indirecto. Quamobrem si pro missionibus alicujus nationis existit concordatum de jure quo missionarii in materiis civilibus utuntur, tale concordatum fontem potissimum juris peregrini constituit. Pro missionibus in Sinis concordatum non habetur, exceptis missionariis non lusitanis residentibus in dioeces Macaonensi; quae dioecesis, utpote in coloniis lusitanis sita, subjicitur normis statutis in memorato concordato inter Sanctam Sedem et gubernium Lusitanom recenter initum.

III. CONCILIA PLENARIA TERRAE MISSIONUM

Praesules missionum, ut praedicatio Evangelii magis fructuose maglaque expedite progrediatur, data opportunitate, in unum conveniant oportet ad media apta communi consensu in Conciliis decernenda; quae concilia sunt aut provincilia aut plenaria. Objecta conciliorum in jure indicantur: ((quae ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusos, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam opportune fore pro suo cujusque territorio videantur)) (can. 290). Resigitur quae in conciliis terrae missionum tractantur non excedunt ambitum necessitatis et utilitatis Ecclesiae et circumscribuntur inter septa jurium ecclesiasticorum; attamen si quando conditio temporum locorumve exigit ut aliquid circa jura civilia missionariorum statuatur in conciliis, Patres id faciendi plenum jus habent. Neminem enim latet, concilia propter rationes pastorales tum limites tum modos exercendi jura civilia missionariis imponere posse. Et hae decisiones inter fontes juris peregrini missionarii recenseri debent.

Cum sermo noster sit de jure peregrino missionario alicujus natio-

nis, inter fontes existendi enumerandum est tantum concilium plenarium istius nationis, quamvis concilia provincialia et synodi diocesanae jus particulare introducere possint. Rationes, quibus concilia plenaria ad jus peregrinum missionarium stabiliendum permoventur, sunt plerumque pastorales, ideoque modus procedendi in iis conciliis saepe magis adhaeret prudentiae pastorali quam tramiti juridicae.

Juridice quaeri potest utrum concilium plenarium statuere valeat nec ne de tota norma juridica quam in materia civili omnes missionarii illius Civitatis observare teneantur, v.g. supponatur Concilium plenarium sinense statuisset quod omnes missionarii in Sinis observare debeant jus sinense in exercitio jurium civilium. Jus legitime et valide hoc statuendi competit certe Sanctae Sedi, quae vel per leges proprias vel per concordatum jus hoc exercet. De jure autem concilii plenarii hoc stabiliendi, nobis videtur esse affirmative respondendum; cum concilium plenarium, quod est una ex auctoritatibus legiferis Ecclesiae et participat potestatem Romani Pontificis, jus peregrinum missionarium ob bonum Ecclesiae statuere valet, et si quando aliquid statutum fuerit in concilio, missionarii illius districtus id observare adstringuntur. Tamen id practice fieri nequit sine difficultatibus, nisi conventio diplomatica intecesserit inter Sedem Apostolicam et gubernium. Propterea concilium plenarium ab hoc faciendo sese semper abstinere et totam rem Sanctae Sedi relinquit sibi reservat tantum facultatem statuendi particulares quasdam regulas quoad jurium civilium exercitium.

ARTICULUS II. JURISDICTIO STATUS CIVILIS IN MISSIONARIOS

Sicut fidelis quivis duplicem characterem praesefert et duabus potestatibus subijcitur, ita missionarius, characterem sacrum et civilem in se continens, ab utraque potestate dependet, imo dici potest, missionarium dependere a duabus potestatibus civilibus, scilicet a potestate Status patriae et a potestate Status terrae missionum. Inquirimus igitur in praesenti articulo de dependentia missionariorum a potestate civili.

I. JURISDICTIO CIVILIS IN MISSIONARIOS IN GENERE

Missionarii, qui vel clerici vel religiosi laici vitam totam Deo devoverunt et, relictis patriis, petunt terram alienam praedicandi Evangelium causa, sunt personae sacrae servitio divino unice mancipatae: nihilominus ipsi remanent in mundo nec possunt renuntiare omnibus suis juribus civilibus. De omnibus his rebus Ecclesia partim proprias leges condidit, partimque res remittit ad jus civile respectivae Civitatis. Quamobrem pro juribus officiisque civilibus missionarii leges civiles observare tenentur.

Sed quaeritur ulterius, quid intelligatur per terminos ((jura et officia civilia))? Jura et officia civilia indicant illum complexum jurium et officiorum quae evibus tribuuntur a jure Civitatis. Nonnulli auctores distingunt jura civilia a juribus politicis (5). Cum vero missionarii sint clerici vel religiosi, ipsorum non omnia jura civilia et officia intersunt; ambitus igitur jurium atque officiorum civilium missionariorum determinatur a characterе personae sacrae juxta praescripta juris canonici; unusquisque missionarius sibi retinet illa quae secundum jus ecclesiasticum ipsi conveniunt et supportat illa officia civilia quae suo statui sacro non contradicunt.

II. JURISDICTIO CIVITATIS PATRIAE IN MISSIONARIOS

Patria alicujus personae in civili jure intelligitur de illa Civitate cujus nationalitatem quis sibi retinet. Jus civile vigen in omnibus Statibus determinat, sitne aliqua persona sibi subdita, non per domicilium sed per nationalitatem, quae est aliquod factum juridicum et acquiritur vel per nativitatem vel per aggregationem legalem (naturalizzazione).

(5) J. PASQUAZI, *Jus internationale publicum*, vol. I, p. 211 (Roma 1935). In jure romano classico: ((I soli cittadini romani godevano di tutti i diritti civili e politici... I diritti politici erano l'ius suffragii e l'ius honorum... I diritti civili poi consistevano nell'ius connubii e nell'ius commercii.... cfr. FILIPPO SERAFINI, *Istituzioni di Diritto Romano*, Roma 1920, Vol. I, p. 126.

Clericus vel religiosus, quando invenitur in sua patria, subest jurisdictioni et legibus suae Civitatis quoad jura et officia civilia suo statui convenientia. Cum vero clericus vel religiosus missus est a Sancta Sede ad terram missionum, exerceturne adhuc super ipsum jurisdictio Civitatis patriae? Responsio datur per partes juxta principia supra dicta: missionarius, longis temporibus longisque spatiis a sua patria absens, potestati suae Civitatis subest usquedum ipse non mutaverit suam nationalitatem. Quod vero ad leges nobis videtur solutionem theoreticam dari posse juxta principia exposita in introductione de jure peregrino in genere ⁽⁶⁾.

Altera quaestio specialis habetur circa protectionem missionariorum. Diximus missionarios esse missos a Sancta Sede et ab ipsa protegi debere; quaeri autem etiam potest utrum Civitas patria jus ac officium habeat protegendis missionarios utpote suos cives an non? Hisce temporibus Civitates quam maximam curam adhibent ad suos cives in alieno territorio residentes protegendos, et historia missionum testatur plures interventus Civitatum pro tutela vitae libertatisque missionariorum suae propriae nationis. Si quaestio juridice consideratur, dicendum est quod protectio missionariorum primario pertinet ad Sedem Apostolicam, quia missionarii, opera et vitam Deo devoteantes, magis considerandi sunt cives Ecclesiae quam cives Civitatis terrenaе, et quia protectio directa Civitatis patriae persaepe confusionem praejudiciaque gignit cum detrimento missionum. Tamen non licet negare jus Civitatis patriae ad tutelam vitae et libertatis missionariorum suae nationis. Recte quidem est intelligenda haec protectio, quae missionariis tribuitur inquantum sunt cives talis Civitatis nec extenditur ad res missionales sine consensu Sanctae Sedis. ((Quod si quibusdam in regionibus rerum publicarum administratores Ecclesiae patrocinium interdum susceperunt, hoc ipsa non in indigenarum detrimenta usa est, sed unice ut se suosque in tuto ab malaorum hominum vexationibus

(6) Cfr. J. PASQUAZI, *Jus inter. pub.*, vol. I, p. 239 (Roma 1935); ((Ex defectu legislationis scriptae communis quae determinet limites jurisdictionis Statuum in cives proprios in alieno territorio commorantes, haerendum est particularibus conventionibus, si initae fuerint, secus regulis ex praxi internationali inductis)).

collocaret. In comperto enim est, id ad quamlibet rempublicam, jure proprio ac nativo, spectare, ut omnium civium suorum ubique terrarum commorantium vitam, jura et bona tueatur; quam quidem tutelam, praesertim cum vexarentur, ipsi missionales experti sunt. Itaque Apostolica Sedes ejusmodi defensionem non recusativ, eo dumtaxat consilio ut sacras missiones ab arbitriis atque injuriis malorum hominum subtraheret: minime vero ut iis aliis faveret propositis, quae forte gubernatores exterarum gentium, data opportunitate, cives suos protegendo, haberent)) ⁽⁷⁾.

III. JURISDICTIO CIVITATIS TERRAE MISSIONUM IN MISSIONARIOS

Cum missionarii, uti peregrini, in territorio alienae Civitatis commorentur, vinculum subjectionis exsurgit inter illos et Civitatem terrae missionum. Civitas enim commorationis peregrinis tribuit jura civilia eosque protegit et aliquando illos maleagentes expellit. Jurisdictio vero talis nobis videtur non esse directa, quia missionarii uti ceteri peregrini remanent sub jurisdictione patriae suae, est potius indirecta, quatenus Civitas commorationis ratione boni communis exercet potestatem super cives externos. Haec exercitio explicatur secundum normas tum in conventibus internationalibus statutas tum in ordinationibus internis sive pro specialibus materialis sive pro judiciis datis; quae normae constituunt jus peregrinum uniuscujusque Civitatis.

Quamobrem jus peregrinum applicatur etiam missionariis in iis rebus quae juxta principium juris ecclesiastici sunt in competentia auctoritatis civilis.

Praeter jus peregrinum, Civitas terrae missionum jus et officium habet protegendi missionarios, quis jus internationale, sequens praeceptum juris naturalis, id imperat. Quaeritur autem, si quando Civitas terrae missionum ob rationes speciales securitatis quosdam limites peregrinis imponit quibus peregrini prohibeantur ne ad quosdam locos ingrediatur vel ex certis locis aut ex toto territorio exeant, tenenturne

(7) Epistola ((Ab ipsis pontificatus)) Pii XI, 15 Junii 1926. Cfr. *Sylloge*, p. 263.

missionarii has praescriptiones observare? Res sat clara habetur in dando responso negativo, quia unusquisque potest renunciare favorem sibi datum et protectio recensetur esse favor; praeterea officium evangelium praedicandi exigit ut missionarii vitam ministerio postponant. Hoc principium hisce diebus per facta passim confirmatur⁽⁸⁾.

Altera quaestio habetur circa jus Status commorationis expellendi missionarios reos vel perniciosos. Fas per se non est Statui terrae missionum expellere missionarios; nam Status iste certe non potest expellere missionarios ratione culpae religiosae, secus agit contra jus divinum; neque potest Status expellere missionarios ratione culpae civilis vel politicae, in istis enim casibus iudex erit semper iudex ecclesiasticus et superior missionum dijudicare debet de expulsionem. Status quidem commorationis in omnibus his casibus superiorem missionum monere et expulsionem legitimam exposcere valet.

IV. DE PATRONATU ET PROTECTORATU MISSIONUM

Quaestio de patronatu et protectoratu religioso pertinet magis ad jus publicum ecclesiasticum quam ad jus peregrinum missionarium. Hic nos inquirimus de influxu tantum patronatus et protectoratus missionum in jus peregrinum missionarium.

(8) ((Ma la nostra pazienza cristiana non dispensa, naturalmente, il governo della Cina dall'alto e imprescindibile dovere di assicurare ai missionari, non d'altro rei che di dedicarsi anima e corpo al bene dei fratelli cinesi, quel tanto di liberta e sicurezza che domanda il Santo Padre, e che e garantito in tutti i paesi civili del mondo. Noi apprezziamo veramente la buona volonta del Governo cinese e ci auguriamo che esso in breve possa realizzare le promesse fatte nei suoi recenti programmi di ricostruzione nazionale)). CELSO COSTANTINI, *La crisi cinese e il cattolicesimo*. Roma 1931, p. 12-13.

((Durante i primi torbidi rivoluzionari, i ministri protestanti abbandonarono in massa le missioni dell'interno della Cina; questi (cattolici) rimasero tutti o quasi tutti al loro posto. Il Ministro di una nazione estera mi disse un giorno: ((Noi abbiamo dato ordine ai nostri missionari di ritrovarsi nei porti. La prego d'insistere pereche si mettano in salvo)). ((Signor Ministro — risposi — i missionari sono sentinelle avanzate; lo non posso consigliare loro di essere disertori...)) CELSO COSTANTINI, *Aspetti del problema missionario*. Milano 1935, p. 89.

Distinquendus est patronatus a protectoratu⁽⁹⁾; prior est complexus jurium et officiorum ad promovendas et protegendas missiones alicui principi vel gubernio a Sede Apostolica concessorum; posterior est institutum juridicum a Sancta Sede expliciter vel impliciter recognitum, quo quoddam gubernium onus suscipit ad tuendas missiones in quodam territorio. Patronatus plus habet quam protectoratus et magis connectitur cum jure ecclesiastico⁽¹⁰⁾. Sicut vidimus, jus et officium est Ecclesiae missiones suscipiendi et missionarios protegendum et hoc jus exercetur ab Ecclesia vel directe per suam potestatem vel indirecte per auxilia Civitatis; protectoratus et patronatus missionum existere igitur possunt sine offensione juris divini.

Nature et extensio patronatus missionum variantur de casu in casum e.g. patronatus Lusitaniae identicus non est cum patronatu Hispaniae neque cum patronatu Galliae, quia concessio pontificia, circumstantiis concretis adhaerens, non eadem fuit pro omnibus in respectu ad jura et officia. Unitas magis elucescit in protectoratu, qui, licet aliquas variationes habeat in diversis casibus, in principalioribus rebus eodem modo invenitur apud omnes qui protectortum exercent.

(9) Haud nobis placet terminologia clar. Theodori Grentrup, qui quidem dicit: ((Protectoratus est institutio, quae exclusive ad jus gentium (internationale) et ad solam tutelam diplomaticam spectat; patronatus e contra in jure ecclesiastico civiliter fundatus erat et varia jura nec non officia erga missiones comprehendebat)) (Cfr. GRENT-RUP, *Jus missionarium*, vol. I, Steyl Hollandiae 1925, p. 360) Melius est dicere patronatum fundari in jure ecclesiastico publico. Protectoratus non fundatur injure internationali sic simpliciter, quia nullus Status jure internationali protectoratum missionum suscipere debet et potest, eum vero suscipit in quantum intervenit concessio explicita vel implicita Sedis Apostolicae; protectoratus igitur fundatur etiam in jure ecclesiastico publico, neque limitatur ad tutelam tantum diplomaticam missionum, quia secumferre potest (semper ex concessione Sanctae Sedis) privilegia ecclesiastica vel saltem honores liturgicos.

(10) Neque est admittenda Georgii Soulie de Morant opinio quae affirmat: ((Le protectorat religieux (c'est-à-dire la fonction de protecteur de la religion) est une forme de l'exterritorialité, puisqu'il a pour but d'entraver, ou de modifier les lois d'un pays en faveur d'une catégorie d'étrangers et d'indigènes)). (Cfr. DE MORANT, *Exterritorialité et intérêt étrangers en Chine*. Paris 1925 p. 349) Confundit ipse protectoratum cum uno modo ipsius exercitii; protectoratus per se nullo modo dicit extraterritorialitatem, cum qua aliquando potest consistere.

Relatio inter haec duo instituta et jus peregrinum fere eadem est. Imprimis nationes, quae patronatum vel protectoratum missionum exercent haud valent directe imponere normas juridicas missionariis quoad jura civilia, nisi missionarii sunt de earum nationalitate, quia missionarii ratione patronatus, multo minus ratione protectoratus, non flunt subditi Civitatis illud jus exercentis. Proinde si aliquando Civitates, quae patronatum vel protectoratum exercent, constituerunt quasdam normas juridicas pro rebus civilibus missionariorum, hoc evenire potuit tantum vel propter consensum Sauctae Sedis vel per aliqua pacta internationalia, secus sunt abusus.

Quaestio de patronatu et protectoratu, theoretice simplex sed practice valde complexa, hisce temporibus jam fere antiquata evasit.

V. PACTA INTERNATIONALIA

Sicut concordatum, una e diversis speciebus pactorum internationalium, multum infert in jus peregrinum missionarium, ita cetera pacta internationalia possunt influxum exercere in jus peregrinum missionarium.

Pacta quae relationes cum jure peregrino missionario habere possunt, dividuntur in duas species: pacta de jure peregrino in genere et pacta explicita de missionibus.

Prima species comprehendit conventiones internationales de jure internationali privato quae initae sunt diversis vicibus inter plures Civitates, e.g. inter Civitates Americae meridionalis an. 1878 in civitate Lima et an. 1889 in civitate Montevideo; inter Civitates totius Americae an. 1928 in civitate Havana; inter Civitates Europae in civitate Haga an. 1892, an. 1894, an. 1900, an. 1904, an. 1925 et an. 1928.

Quoad relationem ad jus peregrinum missionarium notandum est primo quod in his pactis nihil de missionariis explicite tractatur et missionarius tangitur in quantum est civis exterus; secundo quod haec pacta non obligant Civitates contrahentes ad observandas articulos statutorum sed ad promulgationem juris peregrini juxta principia stabilita. Itaque istae conventiones possunt esse tantummodo fontes juris peregrini auxiliares.

Secunda species indicat pacta inter Civitates explicitè inita de missionibus. Conventio de quibusdam juribus missionariis valide et licite iniri potest a Civitatibus, quae officio patronatus vel protectoratus missionum funguntur, cum Civitatibus terrae missionum, servatis semper de jure servandis, valide et licite etiam ineuntur pacta de missionibus a Civitatibus jure patronatus vel protectoratus missionum fruuntibus inter se ad moderandum exercitium sui muneris suique juris, servatis item de jure servandis. Extra casus enumeratos Civitates non valent inter se convenire in conventibus ad agendam quaestionem missionariam. De facto existunt paucae conventiones inter nationes catholicas, initae, quae missiones tangunt ⁽¹¹⁾.

COROLLARIUM: Nationalismus exaggeratus in missionibus

Historia ecclesiastica testatur quanta mala passa sit Ecclesia Christi ex abusibus potestatis civilis; abusus isti habiti sunt non tantum in terris fidelium, quando quaestio de investitura acriter agitabatur, sed evenit quoque in terris missionum cum non minoribus detrimentis. Abusus potestatis civilis in terris infidelium provenire possunt a tribus partibus, scilicet a parte Civitatis patriae missionariorum vel a parte Civitatis terrae missionum vel a parte ipsorum missionariorum. Hae exaggerationes vel abusus potestatis civilis vilis comprehenduntur in unico termino ((Nationalismus exaggeratus)). Pro damnatione istorum abusuum habemus multa documenta pontificia: ((Intelligentes igitur vestrum unicuique dictum a Domino: obliviscere populum tuum et domum patris tui, menineris non hominum debere vos imperium propagare, sed Christi, nec patriae, quae hic est, sed

(11) THEODORUS GRENTRUP, *Jus missionarium* (Steyl Hollandiae) vol. I, 1925; p. 422-428. Convent. Santi Germani 17 sept. 1919. art. 11 ((Partes contra-hentes) protegeront et favoriseront, sans distinction de nationalite on de culte, les institutions et les entreprises religieuses, scientifiques ou caritables, crees et organisees par les ressortissants des autres puissances signataires et des Etats, Membres de la Societe des Nations, qui adherent a la presente Convention, qui tendront a conduire les indigenes dans la voie du progres et de la civilisation...)). Milano 1941.

patriae, quae sursum, cives adiicere. Ac miserum sane fore, si qui ex missionariis ita suae dignitatis immemores viderentur, ut potius de terrenu patria quam de caelesti cogitarent, ejusque plusaequo studerent potentiam dilatare gloriamque super omnia extendere. Esset haec quidem apostolatus pestis teterrima, quae in Evangelii praecone omnes caritatis animarum nervos elideret, ipsiusque vulga debilitaret auctoritatem)). Cfr. Encyclica ((Maximum Illud)) Benedicit XV. die 30 nov. 1919 (Sylloge p. 119-120).

((Sanctissimum tamen missionarium opus istic uberius proveheretur, si vana illa fallaxque erstirparetur opinio, quae longe lateque in dies percrebrescit, quaeque in isotrum hominum, praesertim juvenum, animis — ut sunt plerumque rudes atque ignari — radices penitus agit. Ecclesiac nempe catholicae ejusque missionarium opera non ad ea dumtaxat spectare quae Religionis sunt, sed publicis studiis consiliisque exterarum gentium servire, atque idcirco obstare quominus populi a se doctrina evangelica collustrati vel sui juris flant vel ea, quae sunt rationis postulata, libere vindicent)). (Cfr. Epistola ((Ab ipsis pontificatus primordiis)) Pii XI die 15 Junii 1926 (Sylloge, p. 260).

((Si dice spesso nella stampa laica che i Missionari sono preziosi propagatori dell'idea e della influenza nazionale del proprio paese. Non intendo di proferire giudizi sul passato; parlo delle condizioni odierne delle missioni; e non esito a fare questa affermazione: il Missionario che porta all'estero il proprio nazionalismo, inquina e sterilizza la propria propaganda sia religiosa che politica. Oggi i popoli guardano con sospetto a tutto ciò che può intracciare il loro patrimonio politico e, se si accorgono che un Missionario ha altri fini oltre quelli religiosi, lo avversano, lo disprezzano e, se possono, lo scacciano)) (Celso Costantini : ((Clero e Cesare nelle missioni)). Cfr. : ((Va e annunzia il Regno di Dio)), Brescia 1943, vol. I, p. 231-232).

((La parola dunque che il Santo Padre voleva dire e questa: Guardatevi, sì, anche dalle altre cose pericolose, ma guardatevi soprattutto dall'esagerato nazionalismo, perché c'è nazionalismo e nazionalismo. E' come dire che c'è umanità e umanità, personalità e personalità. Ci

sono le nazioni e c'è anche il nazionalismo, è le nazioni le ha fatte Iddio. Dunque c'è luogo per un giusto, moderato, temperato nazionalismo, associato a tutte le virtù. Ma guardatevi dall'esagerato nazionalismo come da una vera maledizione. Ci pare purtroppo tutti gli eventi ci diano ragione quando diciamo vera maledizione, perché è una maledizione di divisione, di contrasti, con pericolo di guerre. Per le missioni poi è una vera maledizione di sterilità, perché non è per quelle vie che la fertilità della grazia si riversa nelle anime e fa fiorire l'apostolato)). (Le parole di S.S. Pio XI agli alunni del Collegio de Propaganda Fide 21 Agosto 1938. Cfr. Alma Mater Collegii de Propaganda F., Gennaio 1929, p. 30).

Caput II

Jus Peregrinum Missionarium In Sinis

Centum fere abhinc annis Civitas Sinarum relationes internationales cum exteris Statibus inivit et portam peregrinis aperuit. Pacta permulta inita sunt his ultimis saeculis Sinas inter et ceteras nationes: quae pacta paucis ante annis constituebant unicam fere fontem juris peregrini sinensis. Principium fundamentale quod totum jus peregrinum sinense antiquum penetravit, consistit in jurisdictione extraterritoriali, quae plures immunitates civibus exteris contulit. Ultimis vero temporibus Civitas Sinarum tali jugo sese liberare anhelans, extraterritorialitatem partim destruxit, partim modificavit et tandem eam totaliter abolere potuit. Propterea conditio peregrinorum in Sinis singulariter sese offert et jus peregrinum sinense sat obscurum manet.

Major singularitas perhibetur relate ad conditionem juridicam missionariorum in Sinis, qui propter protectoratum missionum specialia jura a gubernio sinensi obtinuerunt quae statum juridicum missionariorum distinctum a ceteris peregrinis efformant. Attamen propter iniuriam temporum propterque malam suspicionem Primum Concilium Plenarium Sinense, quod habitum est a. 1924 in civitate Shanghai, conabatur conditionem juridicam missionum ad normalitatem, in quantum fas est, reducere. Inde sat scabrosum est tractare de jure peregrino missionario in Sinis vigenti; ex una enim parte sarta tectaque sint oportet jura Ecclesiae, ex altera parte pactis internationlibus vigor suus est tribuendus, denique auctoritas Civitatis Sinarum non est vilipendenda.

Praesens caput intendit illustrare quomodo jus peregrinum missionarium in Sinis constitutum sit.

ARTICULUS I. BREVIS CONSPECTUS HISTORIOUS PACTORUM SINAS INTER ET EXTERAS CIVITATES

I. PRIMA PERIODUS

Historia pactorum Sinas inter et exterar Civitates summatim dividitur in tres periodos; quarum prima ab anno 1689 ad annum 1840; est periodus tentaminis ad incipiendas relationes diplomaticas; secunda periodus currit ab anno 1840 ad annum 1911, periodus pactorum veterum vel, uti vulgo appellatur, pactorum inaequalium; tertia periodus ab anno 1911 usque ad hodierna tempora protrahitur, periodus pactorum novorum.

Sermo fieri non potest de historia diplomatica inter Sinas et exterar Civitates nisi relate ad tempora recentissima. Etenim antequam dynastia Yuan (1280-1368 p. C.) imperium suum ad Europam extendit, imperatores sinenses cum Europa necessitudines non coniunxerant, licet cum regibus vicinioribus multis vicibus multisque modis pacta inivissent, sed ista pacta erant potius conventiones inter auctoritatem dominatricem et principes sibi subditos; proinde haec pacta non sunt internationalia proprie dicta. Dynastia Yuan viam inter Europam et Asiam aperuit et legatos misit ad Europam atque ex ea legatos etiam recepit. Post dissolutionem hujus dynastiae communicatio inter Sinas et europeas Civitates interrupta est et tandem post multos annos via maritima inventa est et sensim sine sensu communio facilio reddita est. Sub dynastia Yuan relatio inter gubernium Sinarum et Sedem Apostolicam potius amica erat favens missionibus; postea vero imperatores sinenses aditum ad Sinas exteris populis clausurunt, etiam missionariis ⁽¹⁾.

Initium pacti internationalis in Sinis habitum est ani 1689, nempe inter Sinas et Russiam; quo anno pactum quoddam de limitibus

(1) PASQUAL D'ELIA, *Historia missionum in Sinis*. Shanghai 1934, p. 24-54. H. BERNARD, *Aux Portes de la China des Missions du XVI siecle* (traducteur Siaoosoei-fa). Shanghai 1936, p. 27-42.

duorum imperiorum firmatum est inter legatos Songetu ex parte sinensi et Theodorum Golovin ex parte russa. Crescente commercio internationali, cum plures negotiantes occidentales petivissent Sinas et graviter ferrent se prohiberi ingressu in territorium sinense, regnum Anglorum obstaculum istud remove voluit misitque legatum Macartney anno 1792 ad imperatorem Kao-tsong de dynastia T'sing, ut pactum commerciale peteret. Post hanc primam infructuosam missionem, secunda missio an. 1816 missa est praeside Lord Amherst, sed propter quaestionem praeliminarem de caeremoniis audientiae imperialis legatus anglicus expulsus est ab imperatore. Tunc Anglia dereliquit desiderium pactum iniendi, sed studuit relationes contrahere cum auctoritate provinciae Kwan-tung. Anno 1833 Lord Napier nominatus est a gubernio anglico commissarium generalis commerciorum apud Sinas; qui commissarius occasionem quaesivit ad ineundas relationes cum auctoritatibus localibus sinensibus; tamen auctoritates locales sinenses eum uti legatum recognoscere noluerunt. Post eum J.E. Davis officium commissarii generalis commerciorum assumpsit anno 1834 sed post mensem ipse officio se abdicavit. Successor J.B. Robinson invenit easdem difficultates, et tandem anno 1836 gubernium Anglorum revocavit officium commissarii et simpliciter commisit munus tractandi quaestiones Carolo Eliot.

Eodem tempore non defuerunt tentamina aliorum guberniorum, sed nullum ex istis portum imperii sinensis aperire valuit ⁽²⁾.

II. SECUNDA PERIODUS ⁽³⁾

Anno 1840 bellum ab Opio nuncupatum committitur inter Sinas et Angliam, et post duos annos pax redditur Sinis pacto Nankinensi. Hoc pactum a Sinensibus consideratur initium pactorum inaequalium.

(2) (Pro historia diplomatica sinensi adhibemus opera sequentia) The diplomatic history of modern China. — S.T. Kin, Shanghai 1930. Chisa and Powers. — Sir Frederick Whyte (translated by Wang-ngo-sun, Shanghai 1928).

(3) Cfr. *Essai sur le regime des capitulations en Chine*, R.H. Ouang. Paris 1933, p. 34-93. *Historia sexaginta annorum relationum inter Sines et Japoniem*. — Wang Yiin Sen. TienT sien 1933.

Terminus ((Pactum inaequale)) non adhibetur quidem ad designanda omnia pacta, sed ad illa tantum, quae onera graviora, cum laesione iustitiae, Sinis imponunt quam alteri parti contrahenti. Proexacta intelligentia istius termini gubernium sinense recenter dedit interpretationem officiosam ⁽⁴⁾, secundam quam inaequalitas consistit in quinque rebus: non-autonomia in stabiliendis vectigalibus pro commercio externo, jurisdictio extraterritorialis, privilegium navigandi in fluminibus internis, concessiones et stabiles custodiae militares in territorio sinensi.

Historia pactorum sic dictorum inaequalium incepta a pacto Nankinensi, rapide evoluta fuit in multis sequentibus pactis cum diversis nationibus ⁽⁵⁾. Objecta istorum practorum fere eadem habentur, aliquando etiam in verbis. Ultimum ex istis pactis initum est inter Sinas et alias octo nationes quae bellum an. 1900 indixerunt Sinensibus propter turbationes ((Boxer)); diximus hoc pactum esse ultimum

- (4) ((The first step, therefore, in the realization of the police is to determine what exactly are the inequalities which have held China in political and economic bandage. As had been so impressed upon the Chinese public by Dr. C. T. Wang upon his assumption of office (of the minister of Foreign Affairs on June 14th 1928) that they had become platitudinous even to the ignorant mass. They are 1) the absence of tariff autonomy, 2) the existence of extraterritoriality, 3) the privileges of island and coastal navigation by foreign ships, 4) the existence of foreign settlements and concessions, and 5) the privilege of stationing foreign troops on Chinese soils.)) (Two years of Nationalism in China - edited by the Ministry of Foreign Affairs, Shanghai 1930, p. 99).

(5) Pacta vetera principalia:

Pactum cum Anglia	1842 die 29 Augusti et an. 1858.
Pactum cum Suecia et Norvaga	1847 Martii.
Pactum cum Gallia	1858.
Pactum cum S.U.F. Americae Sep	1858 18 Junii.
Pactum cum Russia	1860.
Pactum cum Germania	1861 20 Sept.
Pactum cum Dania	1863 13 Julii.
Pactum cum Hollandia	1863 6 Oct.
Pactum cum Hispania	1864 10 Oct.
Pactum cum Belgio	1865 2 Nov.
Pactum cum Italia	1866 26 Oct.
Pactum cum Austria	1869 2 Sept.
Pactum cum Brasilia	1881 3 Oct.
Pactum cum Lusitania	1871 13 Dec.
Pactum cum Japonia	1887 1 Sept.

hujus generis, quia reliqua pacta minoris momenti inita post hunc annum et ante Reipublicae foundationem, sunt potius aliquod hujus pacti vestigium.

III. PERIODUS REVISENDI PACTA⁽⁶⁾

Post haud exiguas experientias infelices ministri dynastiae Ts'ing, ineunte saeculo hoc praesenti, cognoverunt detrimenta quam maxima causata esse nationi sinensi pactis inaequalibus atque operam erroribus corrigendis navare incepterunt captis singulis opportunitatibus. Hoc conamen jam reperiebatur in pacto cum Anglia (Machey Tready an. 1902) relate ad jurisdictionem extraterritorialem; dicitur enim in pacto: ((Gubernium Sinarum ardet desiderio ordinandi codices jurium ita ut jus sinense communia principia ac codices ceterorum Statuum occidentalium habeat. Ad hoc opus perficiendum gubernium Angliae auxilia pro viribus conferre sincere promittit. Cum vero postea de facto constiterit codices sinenses relate ad processus et alias res conjunctas ad gradum perfectionis deductos esse, tunc gubernium Angliae jurisdictionem extraterritoialem renuntiare non tardabit)) (art. 12)⁽⁷⁾.

Anno 1911, fundata Republica Sinensi, conatus revisendi pacta antiqua in dies intensio factus est atque urgentior, cum finis principalis evolutionis politicae consisteret in liberanda natione sinensi a jugo exterorum Statuum. Attamen conatus gubernii Sinarum fructum saepe non sortitus est, tum propter renisum aliarum nationum tum propter bella nterna. Cum anno 1918 Conventus pacis post primum bellum europeum Parisios convocatus fuisset, delegati Sinenses desideria sui gubernii palam fecerunt legatis ceterarum Civitatum exposcendo mutationem pactorum quae juribus Sinarum praejudicium inferebant. Responsum autem negativum praeter omnium expectationem datum est ob hanc rationem: ((rem ad competentiam Conventus pacis

(6) Cfr. R.H. OUANG, o.c., p. 248-367.

(7) PVNS, vol. II, tom. 17, p. 8.

non pertinere. Quamobrem legati Sinenses pactum cum Germania subscribere noluerunt ⁽⁸⁾.

Duobus post annis Status Foederati Americae Septentrionalis ad conventum convocaverunt in civitatem Washington legatos novem nationum ⁽⁹⁾ ut multiplices quaestiones ad archipelagum Pacificum spectantes communi consilio tractarent. Quaestiones igitur tractandae maxime ac intime intererant Reipublicae Sinensi propter situm geographicum; proinde legati Sinenses suas petitiones decem cum articulis conscriptas Conventui exhibuerunt. In articulo quinto petitio talis habetur: ((Omnes limitationes vel ligamina Nationi Sinensi imposita adversus libertatem tum politicam tum judicalem supprimantur oportet statim vel saltem juxta opportunitatem temporum)) ⁽¹⁰⁾ Disputatione ((contra aut pro)) his petitionibus actae sunt quam plurimae, sicut accidit in omnibus conventibus politicis internationalibus, et tandem delegati Conventus devenerunt ad conclusiones annuendo partim desideriis gubernii sinensis. In primo articulo hujus Conventus ita statuitur: ((Sartae tectaeque sint nationis Sinarum auctoritas, independentia atque integritas territorii et potestatis politicae)) ⁽¹¹⁾. Praeterae commissio specialis constituta est ab isto Conventu, ut ipsa diligenter examinaret condiciones exercitii potestatis juridicalis in

(8) Legati Sinens inter alia rogaverunt ((n. 4 quoad jurisdictionem extraterritorialem gubernium sinense promittit ante finem anni 1924 promulgare quinque libros codicis et in civitatibus majoribus singulas provincias instituturas esse modernum ribunal; propterea ceterae nationes promittere velint renuntiare jurisdictionem extraterritorialem et suppressere omnia tribunalia specialia; promittere etiam velint ante realem renuntiationem se interim applicaturas esse sequentes dispositiones: a) causas inter peregrinos et cives sinenses a tribunali Sinarum sine interventu consulis exterae nationis judicari; b) intimationes et sententias tribunalis sinensis posse executioni mandari in Concessionibus et domibus peregrinorum nulla habita significatione consuli exterae nationis)) (cfr. Sir FEDERICK. *China and Powers*, Shasghai 1928, p. 85-86).

(9) Novem nationes, S.F.U. Americae S., Sinae, Anglia, Galiia, Japonia, Holtandia, Italia, Lusitania et Belgium.

(10) Sir FEDERICK, o.c., p. 88.

(11) S.T. KIN, *The diplomatic history of modern China*. Shanghai 1930, p. 212.

Sinis et viam ad abolitionem jurisdictionis extraterritorialis attende perenderet.

Nova evolutio politica interim in Sinis exoritur et nationes exterae magis ad defendenda jura atque incolumitatem peregrinorum coguntur quam ad renuntianda jura acquisita. Propitio autem Deo, unitas tandem advenit, cum anno 1927 Factio politica Kuomintang gubernium nationale in civitate Nankino fundavit. Desiderium revivendi pacta vetera illico manifestatum est a gubernio nationali cum principio aequalitatis internationalis. Nam fundator istius factionis, Doctor Sun-yat-sen (1866-1925), per annos fere quadraginta libertatem populi praedicavit ⁽¹²⁾ atque in suo testamento exhortationem suis sequacibus ad abolenda pacta vetera inscripsit ⁽¹³⁾.

Quapropter gubernium nationale sinense, directionem Factionis Kuomintang sequens, revisionem pactorum recensuit esse unam ex suis principalioribus activitatibus eamque alacriter prosecutum est non obstantibus magnis aliarum nationum oppugnationibus ⁽¹⁴⁾. Primus effectus hujus conaminis obtentus est in vectigalis maritimi autonomia, quae per pactum cum S.F. Americae Septentrionalis die 25 Julii 1928 initum proclamata et per subsequentia cum aliis nationibus pacta confirmata, vigorem habere incepit die 12 Martii 1930 ⁽¹⁵⁾. Alter felix exitus, quamvis partialiter tantum, habitus est in redimendis Concessionibus, nam paucos intra annos quattuor loca recuperata sunt ab jurisdictione anglica, scilicet Concessiones in Civitatibus Hankow, Chiukiang Chingkiang et territorium Weihaiwei; aliam

(12) Cfr. SUN-YAT-SEN, *The triple Demism* (translated by P.P. D'Elia, S.J.) Wushang, 1931, p. 528-533 etc.

(13) ((As the revolution is not yet completed, all my followers must endeavour to carry it out according to the teaching which I laid down in my works.... They must lead this revolution to success. They must likewise call together the national Assembly and abolish unequal treaties within to least possible delay according to my latest recommendation)). Cfr. *The triple Demism* (P. D'Elia) p. 702.

(14) Cfr. *Two years of Nationalism in China*, Shanghai, 1930, p. 29-30.

(15) Cfr. *Two years of Nationalism in China*, Shanghai, 1930, p. 102.

Concessionem in civitate Tientsing ab jurisdictione Belgii nostrates recuperaverunt ⁽¹⁶⁾.

Magna difficultas econtra reperta est tractando abolitionem jurisdictionis extraterritorialis; gubernium sinense considerat exercitium hujus jurisdictionis maximam injuriam contra suam independentiam politicam gravique pericula contra justitiam judicalem et propterea exigit abolitionem completam aut statim faciendam aut intra breve ac determinatum tempus; exterae autem Civitates existimant conditionem tribunalium sinensium adhuc perfectam non esse nec tutam pro defensione juris indeque procrastinant auferre jurisdictionem extraterritorialem. Attamen labor a parte sinensi indefessus continuatur et gubernium jamjam abolitionem unilateralem paraverat, quae suam executionem habuisset, si impedita non fuisset recenti bello. Tandem pendente adhuc hoc bello praesente, Civitates exterae anno 1942 jura extraterritorialia renuntiaverant et pacta nova parant contrahere cum Sinis ⁽¹⁷⁾.

Ex hac brevi narratione devenimus nunc ad quaestionem: quomodo peregrini sese habent in Sinis? Respondendum est per distinctionem. Dantur quattuor classes peregrinorum juridice differentium in Sinis ⁽¹⁸⁾:

(16) Cfr. *Two years of Nationalism in China*, Shanghai, p. 92, 121, 127. N.B. Legitur in libro (*Two years of Nationalism in China*) (p. 93-94): ((In order to reiterate the attitude of the National Government of the Republic of China in regard to treaties and agreements with foreign Governments and their Nationalis the Minister for Foreign Affairs deems it appropriate to make the following declaration: 1) As there is no reason for the existence of the unequal treaties and agreements concluded between former Chinese Governments and the Governments, corporations and individuals of foreign States, they shall be abrogated by the National Government within the shortest possible period. 2) Those treaties and agreements whose term has expired, have, as a matter of course, become null and void)).

(17) Cfr. *Two years of Nationalism in China*, p. 105-106. *Sino-foreign Treaties*, published by the Ministry of Foreign Affairs, 1928, p. 51q.

(18) JEAN ESCARRA, *Le Regime de concessions etrangeres en Chine*. Recueil des Cours 1928. II, p. 91-94.

1. Peregrini, cives nationum, quae cum Sinis pacta nondum iniverunt. Hi peregrini subjiciuntur legibus et tribunalibus Sinarum. (Nunc etiam Hispania).
2. Peregrini, cives nationum, quae pacta cum Sinis iniverunt et privilegium extraterritorialitatis non acquisiverunt vel ei renuntiaverunt, hi peregrini regulantur secundum pactum et subjiciuntur legibus et tribunalibus Sinarum. (Germania, Austria, Hungaria, Russia, Mexicum, Finlandia, Persia, Graecia, Bolivia, Cekosllovakia et Polonia).
3. Peregrini, cives nationum, quae pacta de exterritorialitate cum Sinis antea iniverant sed nunc cessato hoc pacto novas conventiones praeparant. Interim peregrini harum nationum legibus et tribunalibus sinensibus non subjiciuntur.

ARTICULUS II. JURISDICTIO EXTRATERRITORIALIS

I. NATURA

Jurisdictio extraterritorialis vel simpliciter extraterritorialitas est unus de illis terminis conventionalibus quorum sensus vagis notionibus exprimitur indeque variatur in singulis casibus ⁽¹⁹⁾ Auctores, qui quaestionem hanc studuerunt tractare, diversas interpretationes huic termino dederunt ⁽²⁰⁾. Franciscus Piggott distinguit extra-territorialitatem ab exterritorialitate: haec jurisdictionem consularem indicat, illa vero immunitatem legatorum diplomaticorum designat ⁽²¹⁾. Proinde terminus exterritorialitas (exteriorialite) communiter praefertur a doctoribus ad designandam quaestionem de privilegiis immuni-

(19) Cfr. GEORGES SOULTE DE MORANT, *Exterritorialite et interets etrangers en Chine*. Paris 1925, p.1.

(20) ((D'une maniere generale, il est impossible de trouver une definition universellement admise du terme ((exterritorialite)). Pour, les uns, il equivaut a celui d'immunité de jurisdiction, interpretation restrictive et erronee. Pour d'autres, il inclut toute une serie de droits vagues ed indetermines, interpretation excessive)). Cfr. G. SOULTE DE MORANT, *Exterritorialite et interets etrangers en Chine*. Paris 1925, p. 1.

(21) FANCIS PIGGOT, *Exterritoriality*. London 1907, p. 2-3.

tatum peregrinorum in Sinis; nec tamen concordia habetur circa significationem hujus termini. Opinio sinensis reperitur apud Welligton Koo, qui in suo libro de Statu juridico exteriorum in Sinis ait: ((Juxta id quod respicit Potentias (The Powers) in tractatibus, potest dici quod extritorialitas tribuit jus eis exercendi auctoritatem super suos cives in Sinis, sed hoc exercitium perficitur methodis judicialibus et legibus vigentibus ab Imperatore Sinensi datis. Notio hujus auctoritatis ita facile describitur: ipsa continet tantummodo facultatem moderandi suos cives in Sinis cum observatia juris localis, quia quaestiones circa constitutionem tribunalium, circa leges processuales, circa modum judicii, circa regulas testificandi, circa imputabilitatem responsabilitatis, circa mensuram, gradus, sortes et modos poenarum et circa alias res analogas sunt secundum jus locale. Suprema auctoritas legesferendi intacta remanet apud Imperatorem Sinensem, qui potest leges ferre quas ipse judicat opportunas ad conservandum ordinem publicum et pacem, ad conservandos decorem et bonos mores populi, et ad conservandum Bonum commune Status vel ad alios legitimos fines)) ⁽²²⁾.

G. Soulé de Morant econtra affirmat extraterritorialitatem reponi super personalitate legis in oppositone ad territorialitatem etesse illum statum specialem et variabilem pro unaquaque forma civium exteriorum constitutam per exceptiones a jure communi locali. Hic terminus igitur secundum eum comprehendit tria objecta distincta: 1) praerogativas diplomaticas legatorum; 2) immunitates jurisdictionis; 3) exemptiones vel exceptiones a jure communi ⁽²³⁾.

Nobis autem videtur imprimis improbandum esse terminum ((extritorialitas)), quia hic terminus vel confunditur cum extraterritorialitate vel inepte adhibetur; nos igitur adhibemus terminum ((extraterritorialis)). Extraterritorialitas in jure internationali nunc accipitur pro quacumque immunitate a jure territorii data peregrinis vel personis ad eos aequiparatis. Jurisdictio extraterritorialis illam specialem immuni-

(22) WELLINGTON KOO, *Status of aliens in China*. Columbia 1912, p. 217.

(23) SOULIE DE MORANT, *Extritorialite et interets etrangers en China*. Paris 1925, p. 4.

tatem denotat quae subtrahit peregrinos a jurisdictione judiciali territorii eosque submittit jurisdictioni judiciali suae patriae ⁽²⁴⁾.

Jus internationale publicum hodiernis temporibus admittit immunitatem personalem et realem Principis et legatorum alienae Civitatis, et jus internationale privatum tenet etiam principium exemptionis a jure locali circa statum civilem peregrini. Nulla igitur quaestio habetur relate ad has res per se claras. Spiritus vero iuris internationalis magis favet territorialitati quam personalitati legis; proinde peregrini per se subijci debent jurisdictioni judiciali Status commorationis ejusque legibus, exceptis jure excipiendis. Si quando aliqua specialis immunitas habetur sive relate ad jurisdictionem judicialem sive relate ad leges locales, haec immunitas provenire debet vel ex conventionibus internationalibus vel ex liberis concessionibus Status commorationis. Inde clarum est quod uniformitas non datur in his immunitatibus quae unice dependent a positiva voluntate hominum et mensurantur per respectiva documenta constitutiva.

Ante annum 1830 omnes causae exortae vel inter peregrinos et cives sinenses vel inter ipsos peregrinos judicabantur semper a tribunalibus sinensibus, sicut causa criminalis inter navem S.F. Americae Septentrionalis et cives sinenses an. 1821; causa criminalis inter navem anglicam et cives sinenses an. 1789. Omnes istae causae criminales penes tribunalia sinensia judicatae sunt et rei juxta jus poenale sinicum damnati sunt, tamen anno 1827 cum Lusitanus quidam in districtu Macaonensi homicidium contra vitam alicujus civis sinensis commisisset, auctoritas lusitana reum ad suum tribunal detulit eumque punivit juxta proprias leges, non obstantibus intimationibus tribunalium sinensium. Item actum est ab auctoritate anglica anno 1830, quando homicidium perpetratum fuit a quodam cive anglico contra ducem navis Hollandiae in mari sinensi. Ex quo anno auctoritas sinensis tacite toleravit exercitium jurisdictionis judicialis aliarum Civitatum in territorio Sinarum relate ad cives proprios.

(24) Non adprobamus morem scriptorum Sinensium, qui indiscriminatim vacant jurisdictionem extrat. cum termino jurisdictionis consularis. Cfr. R. H. OUANG, o.c., p. 9.

Pactum, quod primum de jurisdictione extraterritoriali agit, fuit illud supplementarium ad pactum Nankinense inter Sinas et Angliam anno 1843. In hoc vero pacto res verbis velatis dicitur, in subsequentibus pactis cum Gallia, cum Anglia et cum Statibus Foederatis A.S. res clare determinata fuit ⁽²⁵⁾.

II. OBJECTA

Objectum jurisdictionis extraterritorialis theoretice determinari non potest, sed sequitur determinationem positivam in pactis vel concessionibus quae has immunitates constituent; quia licet jurisdictione extraterritorialis generaliter tendat ad exemptionem peregrinorum ab jurisdictione judiciali Status commorationis, tamen modus et limites exemptionis intime adhaerent pactis et concessionibus. Jurisdictio extraterritorialis in Sinis juxta pacta et decreta sequentibus limitibus describitur:

1. Causae sive contentiosae sive criminales duorum peregrinorum ejusdem Civitatis, quae jurisdictione extraterritoriali in Sinis gaudebat, judicabantur a tribunali eorum nationali ⁽²⁶⁾.
2. Causae sive contentiosae sive criminales duorum peregrinorum, quorum unus est civis Civitatis jurisdictione extraterritoriali in Sinis gaudens, subtractae sunt a jurisdictione judiciali sinensi ⁽²⁷⁾.

(25) De jurisdictione extraterritoriali agit in pactis: Art. 28 cum S.F. Americae S. an. 1858; Art. 35 cum Germania anno 1861; Art. 17 cum Anglia an. 1858; Art. 24 cum Norvegia et Suecia an. 1847; Art. 35 cum Gallia an. 1858; Art. 17 cum Dania an. 1863; Art. 6 cum Hollandia an. 1863; Art. 14 cum Hispania an. 1864; Art. 16 cum Belgio an. 1865; Art. 17 cum Italia an. 1866; Art. 38 cum Austria an. 1869; Art. 12 cum Peruvia an. 1874; Art. 9 cum Brasilia an. 1881; Art. 51, 50 cum Lusitania an. 1874...

(26) ((Causae inter Anglos, sive relate ad jura personalia sive relate ad jura patrimonialia, judicantur a tribunali anglico)). (Art. 15 cum Anglia an. 1858; cfr. PVNS vol. II, tom. II, p. 4.).

(27) ((Causae exortae inter cives gallicos in omnibus portis judicantur ab auctoritate Galliae; quaestiones inter cives gallicos et cives alius tertiae nationis ne videantur ab auctoritate sinensi)) (pactum cum Gallia Art. 39, anno 1858). Cfr. PVNS, vol. IV, tom. I, p. 10.

3. Causae criminales inter cives Sinarum et peregrinum nationis jurisdictione extraterritoriali gaudentis, judicabantur a tribunali rei et poena decidebatur juxta leges patriae eius ⁽²⁸⁾.
4. Causae contentiosae inter civem sinensem et peregrinum nationis jurisdictione extraterritoriali gaudentis, judicabantur sive a tribunali national partis convent, sive a tribunali mixto secundum diversitatem pactorum ⁽²⁹⁾.
5. Antea causae contentiosae et criminales Concessionum Internationalium et Concessionis Galliae in civitate Shanghai subtractae erant a tribunali sinensi, nunc vero reguntur uti causae numeri 3 et 4 ⁽³⁰⁾.

Ex altera parte videamus competentiam tribunalis sinensis circa causas peregrinorum:

1. Causae sive contentiosae sive criminales inter duos peregrinos tum ejusdem nationis tum duarum differentium nationum, quae privilegium jurisdictionis extraterritorialis non habebant, erant de competentia tribunalium sinensium.

(28) ((Si quis anglicus delictum commiserit (in Sinis) punitur ab auctoritate anglica. Si quis Sinensis injuriam vel delictum contra cives Anglicos commiserit punitur ab auctoritate sinensi...)) (pactum cum Anglia an. 1858, art. 16) Cfr. PVNS, vol. II, tom. II, p. 4.

(29) ((Cum civis Anglicus actiones contra civem sinensem movere velit, libellum litis consuli anglico praestare debet, qui causam perpendet actori que persuadebit ut ipse litem evilet. Idem a consule anglico est faciendum, cum ipse libellum litis contra civem anglicum a cive sinensi receperit. Si vero persuasio infructuosa evaserit, tunc consul anglicus et auctoritas sinensis causam simul videant justeque judicent)) (pactum cum Anglia an. 1858, Art. 17. Cfr. PVNS, vol. II, tom. II, p. 4.).

((Cum in portibus sinensibus causae mixtae judicentur a tribunali communi et accidere possit confusio propter diversitatem jurium duarum partium, nunc conventum est ut tribunal auctoritatis partis conventae sit competens ad libellum recipiendum et ad causam judicandam; jus autem sit auctoritati partis actoris mittendi assessorem ad tribunal, qui processui assistat et, si casus ferat, interrogationes et defensiones proponat judici...)) (Pactum cum Anglia an. 1876, Art. 2, cfr. UVNS, vol. II, tom. V, p. 2.).

(30) CPSJ, p. 22-30, tom. X.

2. Causae sive contentiosae sive criminales inter civem sinensem et civem nationis jurisdictione extraterritoriale non gaudentis, judicabantur a tribunali sinensi.
3. Causae criminales, quarum reus erat civis sinensis, judicabantur a tribunali sinensi.
4. Causae contentiosae, quarum pars conventa erat civis sinensis, vel judicabantur a tribunali communi, vel a tribunali sinensi, juxta statuta pactorum.

III. JUS APPLICABILE

Cum tribunal exterum in Sinis constitutum est, tunc duplex quaestio exsurgit de jure applicabili: una quaestio circa jus processuale istius tribunalis, altera circa jus secundum quod causa decidi debet. Auctores de jurisdictione extraterritoriale in Sinis loquentes generatim inquirunt de prima quaestione et tacent de secunda. Nobis autem non licet silentio praeterire secundam quaestionem, quia ab ea dependet jus peregrinum sinense.

De jure processuali tribunalis exteri in Sinis res sat clara apparet. Nobis videtur admittenda non esse opinio clarissimi Welligton Koo, qui dicit jurisdictionem extraterritorialem esse exemptionem a jurisdictione judiciali locali, ita tamen ut natio hoc privilegio gaudens tribunal in Sinis constituere possit et exercitium jurisdictionis judicialis perficiat juxta jus processuale locale. Nam jurisdictio extraterritorialis tribuit facultatem alicui Civitati ut ipsa suos cives in Statu contrahenti commorantes judicare possit per proprium tribunal vel permanentiter constitutum intra territorium Status concedentis vel extra ejus territorium. Sed Status, qui proprium tribunal in alieno territorio constituere potest et jurisdictionem judicialem exercere valet, non obligatur ad observandum processuale jus locale, quia jus processuale sequitur forum.

Jus processuale tribunalium exterorum in Sinis statutum est a respectivis guberniis, quae tribunalia in Sinis constituerunt ⁽³¹⁾.

Altera quaestio est de jure applicabili in his tribunalibus exteris pro causis decidendis. Solutio hujus quaestonis multum confert ad jus peregrinum sinense, nam jus secundum quod causa judicatur, constituit etiam jus seu normam secundum quam peregrinus in Sinis in suis actibus agere debet.

G. Soulie de Morant hanc quaestionem paucis verbis absolvit, dicens in tribunalibus gallicis jus applicabile partim esse Gallicum et partim esse jus locale sinense, in tribunalibus anglicis jus applicabile esse jus conforme et juridicis principiis Angliae et consuetudinibus sinensibus, in tribunalibus americanis jus applicabile esse complexum Actorum Congressuum et Jus commune (Commun Law) ⁽³²⁾. J.

(31) ((Je rappellerai succinctement ceux qui sont en vigueur et s'appliquent ala Chine (in tribunalibus gallicis): 1) Ordonnance de la Marine, aout 1681 (livre 1, titre IX) sur les attributions consulaires; 2) Edit du roi, Versailles 28 juin 1778 reglement sur les fonctions judiciaires et police; 3) Loi du 28 mai 1836 revisant la jurisdiction consulaire d'apres les lois nouvelles de la France; 4) Loi du 8 juillet, jurisdiction des consuls en Chine et a Mascarte; 5) Loi du 28 avril 1869 attribuant a la cour de Saigon les appels et la connaissance des affaires criminelles des circonscriptions consulaires de Chine et de Siam; 6) Loi du 15 juillet 1910 attribuant aux chambres de la cour d'appel siegeant a Hanoi les appels et la connaissance des affaires criminelles des circonscriptions du Yunan... (In tribunalibus anglicis) Un ordre en conseil du 24 Octobre 1904 (dont le texte se trouve dans Hertslet, China treaties, II, p. 834) reconstituant la cour supreme et les tribunaux consulaires et revisant anciens reglements, forme un veritable code d'administration judiciaire et de procedure pour la Chine... (In tribunalibus S.F. Americae Septentrionalis) Ils comprennent: 1) des tribunaux consulaires (Consular Courts); 2) La cour des Etats Unis ((United States Court for China)). Les differents textes de legislation americaine donnant pouvoir a ces tribunaux sont: l'acte du Congres du 11 aout 1848 remplace par l'acte du 22 juin 1860, instituant les pouvoirs judiciaires des consuls et du ministre a Peking; tous deux modifies par les actes du 28 juillet 1866 et du 1er juillet 1870; la substance de ces lois se trouvant maintenant aux sections 1983-4130 des Revised Statues. Puis vient l'acte du 30 juin 1906 instituant la cour des Etats-Unis pour la Chine et des clauses des deux Diplomatic and consular appropriation act, l'un du 2 mars 1909 accordant pouvoirs judiciaires au vice-consul general a Shanghai; l'autre du 4 mars 1915 accordant les memes pouvoirs au vice-consul a Shanghai)). Cfr. G. SOULIE DE MORANT, *Exterritorialite et interets etrangers en Chine*. Paris 1925, p. 126-145.

(32) G. SOULIE DE MORANT, *Exterritorialite et interets etrangers en Chine*. Paris 1925, p. 132 etc.

Escarra tenet etiam jus applicabile tribunalium exterorum in Sinis esse jus patriae tribunalium, quia ipse affirmat jurisdictionem extraterritorialem secumferre exemptionem tum a jurisdictione judiciali tum a jurisdictione legifera loci commorationis ⁽³³⁾.

Attamen res neque in principiis neque in factis est tam simplex, sed continet complexum difficultatum. Conamur certa de incertis seligere et communia de particularibus adstruere.

Tenendum imprimis est jurisdictionem extraterritorialem natura sua secumferre tantummodo exemptionem a jurisdictione judiciali locali non vero exemptionem a jurisdictione legifera: etenim jurisdictionis extraterritorialis de se dicit privilegium quo Civitas aliqua potest exercere jurisdictionem judicialem super proprios cives in Sinis commorantes; hoc privilegium non est confundendum cum principio juridico de personalitate legis, qua peregrinus secum habet jus propriae patriae quocumque pergit, sed est concessio vel facta unilateraliter a gubernio sinensi vel per mutuum consensum in conventionibus; propterea si exemptio a legibus localibus sinensibus datur, haec exemptio fundatur et mensuratur secundum documentum suum constitutivum. Erronea atque injusta est opinio quae credit peregrinos vi jurisdictionis extraterritorialis exemptos esse omnino ab observantia legum sinarum; nam legati diplomatici qui immunitatibus per pluribus fruuntur, observare leges civiles gubernii commorationis tenentur. Hoc etiam confirmatur ex modo dicendi in pactis initiandis recenter inter Sinas et alias Civitates; in novis enim pactis constanter dicitur: cives alterius partis in territorio alterius partis commorantes subjiuntur legibus et tribunalibus localibus; distinctio igitur recognoscitur inter subjectionem ad leges locales et tribunalia localia, ita etiam distinctio facienda est inter exemptiones a subiectione jurisdictionis judicialis et exemptiones a subiectione jurisdictionis legiferae. Nec tamen negamus jurisdictionem hanc in Sinis practice obtinuisse aliquas exemp-

(33) J. ESCARRA, *La Chine et le droit international*. Paris 1931, p. 38.

tiones etiam a legibus sinensibus, sed exemptio talis provenit vel ex pactis vel ex praescriptione. Praeter exemptiones obtentas peregrini in Sinis obligantur ad observatiam legum sinensium ⁽³⁴⁾.

ARTICULUS III. LEGES INTERNAE RESPICIENTES PEREGRINOS

Reformatio juris veteris sub influxu systematum juridicorum occidentalium incepta est a primordiis Republicae; codices juris civilis, poenalis ac commercialis, maturo consilio praeparati successive publicati sunt, necnon normae pro institutis specialibus plures sunt promulgatae et tribunalia novis regulis sunt reordinata. Jus peregrinum, quod ante Rempublicam, exceptis principiis statutis in pactis, relictum erat consuetudinibus et arbitrio judicum, nunc lente evolutum est in jus quoddam scriptum et distinctum. Difficultas quidem nunquam defuit, quia res in se nimis complexa est. Inde necessitas urgebat ut omnia quae in pactis statuta non erant claris terminis constituerentur tum ad evitandas nimias quaestiones propter crescentia commercia facile oriundas tum ad retundendos abusus tribunalium.

Leges internae sinenses in diversis occasionibus promulgatae peregrinos tangentes possunt reduci ad tres classes: prima classis legum respicit exercitium jurisdictionis extraterritorialis; secunda classis legum respicit jus civile peregrinum; tertia classis legum respicit jura peregrinorum.

I. LEGES INTERNAE

Relate ad exercitium jurisdictionis extraterritorialis principalis cura gubernii sinensis consistit in tentaminibus abolendi hanc jurisdictionem, sed nihil omissum fuit ut ea omnia quae in sua potestate sunt,

(34) ((En pratique, les tribunaux consulaire jugent selon un melange de lois nationales et de coutumes locales. La diversite des systemes choisis par les Puissances consiste dans le dosage different des deux elements legislations nationales et coutumes locales)) R.H. OUANG, o.c., p. 174.

recte ordinarentur. Gubernium enim republicanum sinense dissolvit omnia sua tribunalia autem instituta pro causis mixtis et reduxit omnes causas istas ad tramitem ordinariam judicialem et providit ut eae omnes causae, quae secundum terminum pactorum non sunt sub jurisdictione extraterritoriali, exacte procederent juxta jus processuale sinense, et definit etiam dubia quaedam circa exercitium jurisdictionis extraterritorialis. Haec omnia nobis magis clare apparebunt quando tractabimus de judiciis.

Pro exercitio juris civilis peregrinorum in Sinis, jus sinense plane recepit principia iuris internationalis et per Normas de applicatione juris constituit jus civile peregrinum ⁽³⁵⁾. In capitibus sequentibus videbimus quomodo gubernium sinense pro actibus juridicis peregrinorum jus sat perfectum dederit partim in legibus de codice juris civilis exequendo ⁽³⁶⁾ partim in Normis de applicatione juris. In statuendo jure civili peregrinorum jus sinense secutum est communem opinionem de conflictu iurium. Jus enim sinense non directe tradidit normas juridicas peregrinis, sed suis tribunalibus. Attamen clarum est istas normas de applicatione juris indirecte indicare peregrinis quoddam jus quod observare ipsi debent in suis actibus, quia si istud jus non observatur, jus non concedit protectionem. Si vero aliquod jus non protegitur, tunc jus egreditur ordinem stricte juridicum et remanet in ordine morali.

Ad definienda jura peregrinorum pacta vetera non paucas normas suppeditant, sed non sufficienter. Successivae ordinationes per decreta a gubernio sinensi publicatae sunt, in quibus declaratur quid a peregrinis fieri possit et quid fieri non valeat. De his sermo erit in capite de statu civili peregrinorum.

(35) NAI, publicatum est 5. Augusti 1918. (habetur in apendice).

(36) CJCS, p. 390.

ARTICULUS IV. PRIMUM CONCILIUM SINENSE

I. PRAEScriptionES PRIMI CONCILII SINENSIS

Postquam novimus partem civilem juris peregrini missionarii in Sinis, jam nostrum est perpendere partem canonicam, cum jus peregrinum missionarium constituatur potissimum quidem jure civili, sed etiam ex praescriptionibus juris ecclesiastici elementa magni ponderis assumit. Non existit adhuc concordatum pro missionibus sinensibus, excepto concordato lusitano pro dioecesi Macaonensi. Quod ad concilia plenaria attinet, habetur Primum concilium Sinense anno 1924 in civitate Shanghai celebratum; inter cujus acta plura reperiuntur decreta quae jus peregrinum tangunt.

Etenim circumstantia specialis in qua opus missionale in Sinis explicatur, persuasit Patribus Concilii ad prudentes cautiones stabilendas quominus quid detrimenti missiones caperent ex modis agendi missionariorum. Opinio evasit communis illis temporibus apud paganos Sinenses quod ((Ecclesiae nempe Catholicae ejusque Missionarium operam non ad ea dumtaxat spectare quae Religionis sunt sed publicis studiis consiliisque exterarum gentium servire, atque idcirco obstare quominus populi a se evangelica doctrina collustrati vel sui juris flant vel ea, quae sunt suae nationis postulata, libere vindicent))⁽³⁷⁾.

Quamobrem Patres Concilii Sinensis statuerunt in parte generali:

((Add finem sui ministerii consequendum, Missionarii Catholici, hoc nomine digni, omnes vias persequantur, nullamque negligant cautionem.

((Unde vitent patrii sermonis inter alienigenas propagandi studium nisi forte agatur de linguis quae alumnorum utilitati cedere queant et quae ab ipsis discendae quaerantur...))

(37) Sylloge, p. 260. (Epistola A Pontificatus primordiis).

((Abstineant omnino a promovendo adjuvandoque commercio sive cum patria propria sive cum aliis regionibus...)) (Num. 23)⁽³⁸⁾.

((Oportet ut religio catholica indigenarum mentibus parum exultis non appareat religio unius vel alterius nationis, sed perspicue fulgeat nota universalitatis quam a suo divino Fundatore accepit. Similiter evangelizationis opus oportet ut servet characterem praedicatae catholicitatis, ita ut summo omnium missionariorum studio arceatur periculum confirmandi apud indigenas inveteratum praejudicium quod fidei propagatio inserviat commodis et utilitatibus unius vel alterius gentis procurandis)) (Num. 24).

((Ex hoc tanti momenti principio sequentes conclusiones deducuntur:

1. Religio Catholica officiali probatoque nomine ((T'ien-chu-kiao)) vocetur. Attamen alia nomina, quae essentialia Ecclesiae attributa referunt, non reprobant.
2. In fronte ecclesiarum unus tantum, characteribus sinicis conscriptus, ponatur titulus, scilicet ((Tien-chu-t'ang)).
3. Pro missionum domibus, omissis omnibus appellationibus quae missionariorum nationem designant, haec sola inscriptio usurpetur: ((Catholica Missio)).
4. In capite epistolarum documentorumque officialium una sit intestatio: vel Catholica Missio: vel nomen Loci, Vicariatus aut Praefecturae apostolicae, praetermissis omnibus denominationibus, quae missionariorum patriam significant.
5. Omnes justae leges reipublicae sinensis observari debent sive a fidelibus, sive a missionariis et sacerdotibus, iis non exceptis legibus quae jura protectionis in catholicos aliis nationibus agnoscunt.

Quaestiones tamen omnes quae hujusmodi ((protectoratum)) respiciunt, supremo S. Sedis judicio reservantur.

(38) PCS, p. 34.

6. Ad opem exterarum auctoritatum quam minime confugiendum est, id est, quando, ad negotia componenda, praeclusae sunt omnes aliae viae)) (Num. 25) cfr. POS. p. 34-36.

Hae praescriptiones sapienter dirigunt missioarios in suis actibus ut caveant suspensiones et ambiguitates; respiciunt quidem hae praescriptiones directe missiones catholicas, sed indirecte etiam missionarios in suis exercitiis jurium civilium, sicut prohibitio docendi linguam patriae suae, promovendi commercia et praeceptum observandi leges sinenses.

II. QUID RELATE AD JUS PEREGRINUM MISSIOARIUM?

Dubium potest suscitari a verbis ((Omnes justae leges sinenses observari debent... sive a missionariis...)) Intenditne Primum Concilium Sinense in hoc praecepto statuere obligationem missionariorum ad observantiam legum sinensium in materia civili, scilicet debentne missionarii in omnibus suis exercitiis jurium civilium observare jus civile sinense an non? Responsio videtur debere esse affirmativa, quia canon aequiparat missioarios ad fideles et sacerdotes indigenas, qui in suis actibus civilibus certo certius observare debent jus civile sinense. Attamen res ita se habere non potest. Gravis sane est res statuere subjectionem missionariorum ad jus civile in omnibus suis exercitiis jurium civilium, nec potest hoc statui obiter per aliquam affirmationem genericam. Leges igitur sinenses in mente Patrum Concilii accipiuntur in suo sensu completo et comprehendunt omnes normas juridicas promulgatas a gubernio sinensi; propterea missionarii, fideles et sacerdotes indigenae tenentur observare illas leges, quae a gubernio sinico pro iis latae sunt, et missionarii in suis actibus prae oculis habere debent non jus civile sed jus peregrinum. Nam gubernium sinense adhuc non aequiparat missionarios cum suis civibus et dedit permultas normas speciales pro actibus juridicis missionariorum.

Praeter praescriptiones generales Primum Concilium Sinense decrevit etiam regulas pro aliquibus casibus particularibus, ut quoad

scholas in Num. 782, quoad acquisitionem bonorum immobilium in Num. 541, quoad causas judiciales in Num. 720... De his omnibus videbimus in decursu tractationis nostrae.

COLLORARIUM I: De protectoratu missionum in Sinis

Dum sermo fit de missionario jure in Sinis, licitum non est silentio praeterire protectoratum religiosum, quamvis res ipsa nunc jam pertineat magis ad historiam quam ad vitam missionum.

Auctoritas imperialis Sinarum, exceptis paucis regnantibus, aegre semper ferebat ingressum peregrinorum in Sinas propter vexationes quas peregrini Sinensibus deferebant. Indeque propagatio fidei in Sinis obstaculis vexationibusque libera esse non potuit, non obstantibus audacia et prudentia missionariorum. Cum vero nationes exterae, mediantibus pactis, negotia commercii in Sinis protegere inceperent, gubernium gallicum sibi munus ac honorem assumpsit protegendi missiones catholicas per suos legatos in civitate Pekino residentes, et multum inde laboravit in favorem missionum. Ex quo lente acquirebatur protectoratus religiosus in Sinis ab auctoritate gallica. Exercitium protectoratus consistebat in 1) dando documentum ((Passport)) missionariis novis; 2) tractando omnes quaestiones religiosas cum auctoritate sinensi per consules gallicos; 3) impetrando favores missionibus per ministrum gallicum in civitate Pekino residentem. Pertinebat etiam ad protectoratum protegere libertatem religiosam fidelium in pactis statutam ⁽³⁹⁾.

Postquam missionarii germanici in Sinas pervenerunt, gubernium germanicum statim protectionem super suos missionarios exercere voluit et, licet protectoratum gallicum plene ejicere non valuisset, obtinuit tamen paritatem juridicam super missionarios saltem germani-

(39) Gubernium gallicum considerabat christianos Sinenses, esse suos ((Proleges)), ((Les chinois chrétiens, bien qu'en vertu des traites ils soient exemptes de certaines contributions et assurés de dédommagement en cas de troubles anti-religieux)). Cfr. R.H. OUANG, o.c., p. 106.

cos tum ex parte gubernii sinensis tum ex parte Sanctae Sedis. Exemplum Germanorum sequuta est Italia, quae suos proprios missionarios a protectoratu gallico subtrahere conabatur et, superatis studiis oppositis, de facto jus par ac Germania acquisivit.

At gubernium sinense quaestiones religiosas cum Sancta Sede directe tractare cupit et frustratis ob causas extraneas conatibus ad relationes diplomaticas cum Romano Pontifice ineundas, excogitavit modum agendi quo protectoratus religiosus practice inutilis redditus est: etenim gubernium sinense nunc recognoscit documentum ((Passport)) missionariis datum ab omnibus et singulis Statibus, qui relationem diplomaticam cum Sinis habent, et quaestiones religiosas, quae missiones catholicas tangunt, directe cum Delegato Apostolico tractat, omissis omnibus deviationibus et interventibus legatorum exterarum Civitatum, et tandem suum Legatum ad Sanctam Sedem permanenter misit anno praeterito ⁽⁴⁰⁾.

(40) ((Gubernium sinense bis tentavit a Sancta Sede Nuntium Apostolicum obtinere, ut cum illo res ecclesiasticas tractaret... Prima vice quaestio Nuntiaturae Apostolicae erigendae a. 1881 a Lihuntschiang, vice-rege provinciae Tscheliensis, excitata est. Anno 1885 gubernium pekinense a Leone XIII petiit ut consilium hoc executioni mandaret. Romanus Pontifex votis annuit. Attamen legalus Galliae apud Sanctam Sedem contradixit et minatus est fore ut concordatum rescinderetur, nisi Sancta Sedes a suo consilio resiliaret. Romanus Pontifex voluntati Galliae cedendum esse putavit. Iterum gubernium sinense, mense Julio an. 1918 conatum suscepit, ut Nuntiatura Apostolica Pekini institueretur. Romanus Pontifex illico Nuntium designavit. Gallia autem, provocans ad conventionem an. 1858, a gubernio Pekinensi postulavit, ut consilium suum relinqueret. Sinae praecepto gallico se subjecerunt. Delegatur Apostolica, quae brevi Apostolico d. 9 Augusti 1922 pro Sinis instituta est, protectoratum directe non tangit)) (T. GRENTRUP, *Jus missionarium*. Steyl Hollandiae 19225, vol. I, p. 398).

Caput III

De Conditione Juridica Missionum In Sinis

Peregrinus extra suam patriam in Civitate aliena commorans, jure sibi a natura collato, privari non debet neque tutela juridica spoliari. Antiquis quidem temporibus peregrini considerabantur ab auctoritate loci commorationis sive ut hostes quibus nullum jus competit, sive ut extranei quibus parvum jus tribuitur; hodernis autem temporibus jus ac consuetudo internationalis conditionem juridicam peregrinorum jam recognoverunt et jus internum singulorum Statuum tribuit peregrinis vel omnia jura, sicut civibus incolis, vel principaliora jura ⁽¹⁾.

Missionarii, considerati uti personae privatae, in materiis civilibus sequuntur conditionem juridicam, quam Status commorationis concessit peregrinis in genere, nisi concessio specialis adsit. Conditiō juridica peregrinorum, quae secundum leges Status commorationis indicat complexum jurium atque officiorum peregrinis attributorum, in uno Statu eadem pro omnibus peregrinis necessario non est, quia Status commorationis in aliquo pacto potest concedere jura vel imponere onera secundum propriam voluntatem; propterea missionarii in terris missionum possunt habere conditionem eandem ac ceteri peregrini, possunt etiam habere conditionem juridicam specialem.

Missiones, utpote partes Ecclesiae Universalis, per se non sequuntur conditionem juridicam missionariorum relate ad jura civilia, quia jura et onera Ecclesiae quoad materiam civilem jam stabilita sunt vel a jure divino vel a jure ecclesiastico et tantummodo quoad modum exercendi remittuntur ad jus civile. Tamen si quando in terris infidelium missiones a gubernio non recognoscuntur opus divinum et considerantur potius associationes peregrinorum exterorum uti associationes commerciales; tunc jura civilia missionariorum confunduntur

(1) Cfr. J. PARSQUAZI. *Jus internat. Publicum*, Roma 1935, vol. I, p. 241.

cum juribus civilibus missionum et intra spheram juris peregrini missionarii etiam comprehenditur norma juridica missionum relate ad materiam civilem.

Quamobrem cum res ita sese habeat in Sinis, pro nostro studio, quod per se respicit tantum jura civilia misionariorum praemittere oportet brevem expositionem de conditione juridica missionum in Sinis.

ARTICULUS I. VICISSITUDINES HISTORICAE

Theodorus Grentrup in suo libro de jure missionario scribit: (Vicissitudines historicae, quae in relatione Gubernii et legislationis Sinensis ad missiones evenerunt, in sex periodos apte dispertiuntur, et quidem: 1) Tempus, quo regnaverunt imperatores ex Mongolia oriundi, ab an. 1280 usque ad annum 1367: vixit omnium religionum liberatas; 2) Tempus, quo regnaverunt imperatores orti ex familiis, quae vocatur Ming, ab an. 1368 usque ad an. 1644: praeter Confucianismum omnes aliae religiones lege generali interdictae erant. Doctrina christiana lege speciali non fuit prohibita, sed continebatur in vetito generali; 3) Tempus duorum imperatorum familiae Manchutarichae, ab an. 1644 usque ad an. 1722: religio christiana ad plenam existendi et agendi libertatem ducta est. Gubernium Sinense proprio motu Ecclesiae Catholicae sacrorum jus concessit; 4) Tempus imperatorum ab an. 1722 usque ad an. 1842: religio christiana legibus specialibus sub gravissimis poenis proscripta est; 5) Tempus imperatorum ab an. 1842 usque ad an. 1912: gubernium Sinense a civitatibus christianis coactum est ad fidem christianam ejusque propagationem tolerandam; 6) Tempus gubernii reipublicae ex an. 1812 deinceps: generalis religionum libertas in legibus fundamentalibus ceu Constitutionalis ultro conceditur)) (2).

Divisio haec, sat clara et in rebus sat fundata, pro nostro studio minus apta videtur. Nostrum enim studium magis fundamento juridico

(2) T. GRENTRUP, *Jus missionarium*. Steyl Hollandiae 1925, vol. I, p. 127.

adhaerere debet quam factis; nam aliquando missionarii in jure nullam tutelam habent et nihilominus de facto tutelam et libertatem a regnantibus recipiunt. Dividimus ergo vicisitudines historicas relate ad missiones in Sinis in tres periodos:

1. Periodus sine reognitione juridica, a primordio catholicismi an. 1280 usque ad an. 1692, in qua periodo propagatio fidei in Sinis recognitonem juridicam nondum obtinuerat, sed unice dependebat a nutu regnantium. Missionarii relate ad jus sinense omnino extranei erant, licet ipsi conati sint in omnibus sese adaptare moribus juribusque sinicis.
2. Periodus conditionis juridicae specialis, ab an. 1692 ad an. 1919. In qua periodo Missiones catholicae ab jure sinensi recognitae sunt et recipiebant complures favores qui constituunt quandam conditionem specialem neque omnino secundum jus ecclesiasticum neque secundum jus internationale.
3. Periodus conditionis juridicae normalis. Ab an. 1919 in posterum conditio juridica missionum catholicarum sensim sine sensu reducitur ad conditionem normalem secundum jus internationale et jus ecclesiasticum.

De unaquaque periodo paululum diffusius dicendum est.

I. PERIODUS SINE RECOGNITIONE JURIDICA

Primi aratores evangelici in Sinis, quorum memoria in scriptis nunc conservatur, sub dynastia Yuan laboraverunt. Quae dynastia an. 1280 thronum imperialem in Sinis constituit ibique regnavit fere per unum saeculum et tandem an. 1368 expulsa est a partibus internis Sinarum. Successit familiae mongolensi dynastia Ming, quae erat de familia sinensi proprie dicta, et potestatem imperialem tenuit usque ad an. 1644. Quo anno, cum ultimus hujus dynastiae imperator suicidio sibi vitam abstulisset, familia Manchuliensi in Sinis regnare coepit. Periodus quae decurrit ab an. 1280 usque ad an. 1692, extenditur ad tempora quae comprehendunt dynatiam Yuan, dynastiam Ming et prin-

cipium dynastiae Ts'ing; in qua periodo missiones catholicae varias vicissitudines felices infelicesve subierunt. Durante tota dynastia Yuan missiones catholicae favores imperatorum principumque habebant et relationes inter imperatores et Romanum Pontificem ita sincerae et frequentes erant ut legati ex utraque parte mitterentur. Attamen pactum inter Sanctam Sedem et gubernium sinense non intervenit, nec quaedam lex libertatem iuraque missionibus concedens invenitur. Missiones igitur de facto sub tutela gubernii stabant, sed non sub tutela juridica et proinde nullam conditionem juridicam realem possidebant.

Dejecto throno dynastiae Yuan de Sinis, successor ejus evertere voluit ea omnia quae ab imperatoribus mongolensibus creata erant. Inter ea etiam favor et tutela missionibus catholicis facta recensentur; propterea missionarii coacti sunt deserere Sinas, fideles dispersi sunt, ecclesiae destructae sunt atque intra paucos annos missiones florentes penitus extinctae.

Ab initio dynastiae Ming usque ad adventum Ricci in civitatem Pekinum (an. 1601) missiones catholicae interdictae erant sub duplici titulo: nempe uti religio falsa et uti religion externa. Sub fine dynastiae Yuan plures sectae religiosas exortae sunt, quae populum ad superstitiones et ad rebellionem excitabant; dynastia Ming multum laboravit ad eas exstirpandas et inde omnes associationes religiosas praeter Confucianismum, Buddhismum et Taoismum, prohibuit gravibus sub poenis. Cumque deturbata fuisset communicatio inter Europam et Asiam a dominatione Mahometanorum, nec missionarii nec mercatores ad Sinas pervenire jam valerent, imperatores sinenses, capta occasione, clausurunt omnino portas Sinarum omnibus civibus exteris. Cum primi missionarii post S. Franciscum Sinas petere cupiebant, imprimis laborabant ut permissionem ingrediendi obtinerent. Facultas vero ingrediendi videbatur posse dari, si missionarii poterant sese exhibere mercatores vel legatos exterarum Civitatum; etenim mercatores exteri possibilitatem habebant ingrediendi provinciam Cantonnensem, et legati valebant etiam pergere ad civitatem imperialem, Pekinum. Per utramque viam missionarii tentamina indefesse

fercerunt et tandem Matthaeus Ricci S.J. ad civitatem Pekinum, ingenti gaudio, pervenire potuit an. 1601. Post ingressum in hanc civitatem, missionarii debuerunt excogitare media ad obtinendam permissionem permanendi et petitionem significaverunt auctoritati sinensi, adducentes rationes non propagandi fidem religiosam sed studendi culturis sinensibus et docendi scientias occidentales; sic P. Michael Ruggeri S.J. an. 1583 jam potuerat domum in civitate Chiao-chow aedificare, et postea Mathaeus Ricci in civitate imperiali permanere.

Licet Ricci ejusque successores favores ac honores consecuti fuissent in civitate Pekino, tamen nondum potuerunt obtinere ab imperatoribus sinensibus tutelam juridicam omnium missionum. De facto missionarii jam multas provincias internas peragrabant et fidem evangelicam ubique praedicabant.

II. PERIODUS CONDITIONIS SPECIALIS

Anno 1692 die 22 Martii imperator Kanshi de dynastia Ts'ing decretum promulgavit, quo tutelam legalem missionariis conceditur, dicitur enim: ((Viri ex regione occidentali oriundi, qui in provinciis resident, nihil mali agunt nec ullo modo partes habent in rebellionibus movendis. Non constituunt sectam perversam ad populum decipiendum et ad tumultus excipiendos. Liberum est unicuique visitare templa Lamaismi et Buddhismi atque ibi afferre incensa; si igitur idipsum prohibitum est pro viris ex occidente oriundis, qui nihil machinantur in leges, justitia videtur laedi. Quapropter convenit permittere, ut ecclesiae in provinciis exstructae conserventur, sicut temporibus praeteritis erant, et ut illi, qui incensum afferunt et honorant Deum, libertate gaudeant, sicut antea, sic faciendi, neque necessarium est eos impedire))⁽³⁾.

(3) T. GRENTRUP, *Jus missionarium* (Steyl Hollandiae 1925), vol. I, p. 134. LE G OBIEN CHARLES S.J., *Histoire de l'édit de l'empereur de Chine en faveur de la Religion chrétienne*. Paris 1698. JESEPHUS SIAO, *Historia ecclesiastica*. Shien-sien. ed. IV, vol. II, p. 170.

Hoc decretum prima vice recognovit existentiam missionum catholicarum in Sinis. Videtur nihil novi dictum esse in decreto, nam praescriptiones continuo referuntur ad statum temporis praeteriti; tamen realiter multum in jure factum est; quia status temporis anteacti erat status tantummodo facti, post vero hoc decretum status factus est juridicus et legalis. Jura, quae missionariis, semper uti personis privatis, concessa sunt, consistunt in libertate cultus, scilicet habere locum cultus et facultatem exercendi cultum; libertas autem propagandi fidem evangelicam silentio tegitur nec prohibitio antea vigens renovata est.

Post hoc decretum missiones catholicae tum ob quaestiones de ritibus tum ob invidiam aliquorum ministrorum imperialium favores imperatorum cito amiserunt et usque ad an. 1842 complures passae sunt persecutiones, etiam cum effusione sanguinis martyrum. Attamen decretum imperatoris Kanshi juridice semper remansit in vigore, quia posteriores persecutiones motae, tam contra missionarios propter propagationem fidei quam contra christianos incolas propter professionem religiosam, sunt secundum vigorem hujus decreti; nam concessionem in eo factae respiciunt tantum libertatem cultus missionariorum, ideoque permissio per se data non erat vel ad propagandam fidem vel ad profitendam fidem per cives sinenses. Legitur in decretis successivis contra religionem christianam:

(... Pastores indigenae (Presbyteri) qui nostris temporibus in omnibus provinciis inveniuntur, severiorem prohibitionem obtineant necesse est. Indigenae, qui hunc titulum (Presbyteri) gerunt, ab iis certe non multum differunt, qui a barbaris dignitates officiales acceptant, quod gravibus poenis animadvertitur. Sed benigne respicio, quomodo ignorantes decepti et pecunias, praesidia, auxilium exoptantes, ab iis viris (missionariis Europaeis) allekti sint. Quapropter, casu eorum accurate inquisito, in exilium ad illi mittentur ibique ad servitutem rediguntur; si pecuniam a barbaris obtinuerint, bona familiae, ad quam spectant, in favorem potestatis publicae sequestrabuntur. Sic igitur ille, qui religioni propagandae se obtulerit, ad ILLI in servitutem mittendus erit, ut omnibus manifestum fiat, horum criminum

poenas adhuc existere, quae ceteros terrent. 'Per se patet, cives qui parentibus repugantibus fidem christianam amplexi sunt, ad pristinam redire cogendos esse. Eorum libri, scripta aliaque res deleantur oportet)) (decretum imperatoris Kien-long, an. 1784) ⁽⁴⁾.

((... Quapropter, Europaei, si libellos religiosos imprimi fecerint vel coram populo praedicaverint, et hac occasione multos veneno (doctrinae suae) occiderint, et in errorem impulerint; aut milites, si Europaeos adierint, in occulto eorum praedicatores sese constituerint ad complures falsa doctrina inficiendos ii, qui principaliter in culpa fuerint, postquam sufficientibus et veris testimoniis sunt convicti, nulla interposita mora strangulabuntur. Ii, qui errorem propagaverint, neque magnam multitudinem seduxerint nec ex officio id agere jussi fuerint, strangulabuntur, cum dilatatione vero executionis, usquedum sententia examini denuo subjecta fuerit. Sectatores simplices, qui religionem amplexi fuerint eamque relinquere noluerint, relegabuntur in Helonkiang et in Tartarorum servitutem tradentur, si sint milites, simul ex militia ejicientur. Europaeis residentibus Pekini mandatur ut solummodo calculationes et astromias in specula ad stellarum motus observandos instituant, nisi fortasse alias habeant facultates reipublicae utiles. Cur autem permittamus, ut illi, qui scientiae astronomicae sunt ignari, inter nos degant et tumultus excitent? Hi vice-regi duarum provinciarum Kwang-tong tradentur, qui prima navigandi occasione uterentur eos domum redire faciet ...)) (Decretum imper. Kia-king an. 1811, die 18 Julii) ⁽⁵⁾.

Possumus igitur dicere temporibus illis missionibus uti religioni non competivisse jura, missionariis vero permissionem permanendi habentibus competivisse libertatem cultus.

Anno 1842, prima conventio commercialis inita est inter Sinas et Angliam, qua conventionem gubernium sinense quinque portus esse apertos declaravit, in quibus peregrini exteri commercium agere ibique

(4) T. GRENTRUP, *Jus missionar.* vol. I, p. 139. Cfr. DE GROOT, *Sectarianism and religious persecution in China.* Amsterdam, vol. II, 1904, p. 329.

(5) T. GRENTRUP, *Jus mission.* vol. I, p. 141.

commorari possent. Hoc factum dedit illi systemati initium, quod evolvitur postea in subsequentibus pactis; secundum hoc systema peregrinis plures favores conferuntur, sed possibilitas negotia agendi limitatur in portibus apertis. Cum jus ingrediendi portum ibique permanendi omnibus civibus exteris oblatum fuisset, hoc jus missionariis etiam datum est. Tamen tale jus iis parum conutlit, quia si praedicatio Evangelii limitari debuisset intra loca portuum, religio catholica nunquam propagata esset in Sinis. Inde cum anno 1858 novae conventiones inter Sinas et Galliam, Angliam et Status Foederatos U.S.A. initae fuissent, missionarii obtinuerunt specialem permissionem ut ipsi ingredi possent regiones internas Sinarum et praedicare Evangelium ubique necnon possidere bona immobilia. Conditio igitur juridica missionum et missionariorum creata est per pacta internationalia et est specialis ac distincta a ceteris peregrinis, defenditur etiam a jure internationali; et in casu defectionis a parte Sinarum inter venerunt aliae Civitates contrahentes, non praetermissa vi militari ad urgendam obligatiam.

III. PERIODUS CONDITIONIS NORMALIS

Jura in pactis missionariis concessa viguerunt usque ad fundationem Reipublicae Sinensis (an. 1911). Cum auctoritas reipublicae post constitutionem gubernii declarasset omnia pacta a gubernio sinensi praecedenti inita continuo vigere, conditio juridica missionum non est mutata sub regimine novo.

Mutatio conditionis juridicae missionum potest evenire vel a parte ecclesiastica reducendo missiones ad jus commune ecclesiasticum vel a parte civili reducendo missiones ad jus internationale commune pro peregrinis. Ultimis annis mutatio conditionis juridicae missionum in Sinis effecta est ab his duabus auctoritatibus.

1. Ex parte potestatis civilis: Post primum magnum bellum europaeum in conventionem pacis Austria renuntiavit omnia privilegia acquisita in Sinis et remisit suos cives in Sinis commorantes ad jus commune internationale peregrinum. Quod exemplum secutae sunt

Germania et Russia. Germania enim in pacto novo cum Sinis die 20 Maji 1921 inito convenit quod: ((Cives unius ex duabus Civitatibus qui in territorio alterius commorantur, juxta tramitem legum et ordinationum reipublicae libere fruuntur facultate migrandi, residendi, agendi commercium ac industriam quaestuosam, in omnibus illis locis, quibus cives alius nationis hoc facere possunt. Quod attinet ad personas et temporalia bona, jurisdictioni tribunalium localium subjecti sunt; legibus loco commorationis vigentibus obedire tenentur. Vectigalia et tributa iis impoenda non transcendent illa quae ipsi cives solvunt)) (6).

Cum vero conditio juridica peregrinorum mutata fuisset, conditio missionariorum, quatenus sunt personae civiles privatae, etiam mutatur. Hoc confirmatur ex declaratione Sanctae Sedis: quando enim novum gubernium sinense in civitate Nankino fundatum est, Cardinalis Petrus Gasparri, a Segretis Status nomine Romani Pontificis felicitationem mandavit toti nationi sinensi, in qua felicitatione clare dicitur: ((Per il raggiungimento di questa pace si augura Sua Santità che siano pienamente riconosciute le legittime aspirazioni ed i diritti di un popolo che è il più numeroso della terra; popolo di antica cultura, che ebbe periodi di grandezza e di splendore, ed al quale, ove si mantenga nelle vie della giustizia e dell'ordine, un grande avvenire non può mancare. Vuole il Santo Padre che le Missioni cattoliche portino il loro contributo alla pace, al benessere, al progresso della Cina; e, secondo quanto scriveva nella lettera del 15 Giugno 1926 ((Ab ipsis pontificatus primordiis)) diretta agli Ordinari della Cina, ripete ora che la Chiesa Cattolica professa, insegna e predica il rispetto e l'ubbidienza alle autorità legittimamente costituite e che essa domanda per i suoi missionari e fedeli la libertà e la sicurezza del diritto comune)) (7).

2. Ex parte potestatis ecclesiasticae: Primum Concilium Sinense magnam attentionem adhibuit in constituendis praescriptionibus, ut

(6) *Collectio legum et decretorum*. Shanghai 1924, p. 354-355.

(7) Cfr. CELSO COSTANTINI, *La crisi cinese e il Cattolicesimo*. Roma, 1931, p. 137.

missiones catholicae in Sinis caractere religioso et catholico clare refulgerent et recognoscerentur a Sinensibus distinctae a Statibus civilibus occidentalibus, sed dependenes a Romano Pontifice. Quaestio de protectoratu a Concilio non tangitur, sed quidam modus procedendi missionariis impositus est qui practice exercitium protectoratus ad minimum reduxit. Statuit enim in Num. 25: ((Ad opem externarum auctoritatum quam minime confugiendum est, id est, quando ad negotia componenda praeclusae sunt omnes aliae viae)) et in Num. 700 (Rekursus ad auctoritates externas pro negotiis tractandis in casu necessitatis tantum, omnibus primum tentatis mediis ad eum vitandum, id est postquam missionarii prosecuti sunt omnes vias ad rem cum auctoritatibus Sinensibus localibus componendam, nec aliud omnino superest refugium ad servanda Ecclesiae jura. At nunquam missionarius recurrit inconsulto Episcopo. Maxime vero cavendum ne, ob parvum bonum vindicandum, odium in religionem suscitetur))⁽⁸⁾.

Si conferimus has praescriptiones cum praxibus antiquis et cum modis in jure procedendi, intelligimus statim has constitutas esse directe ad auferendos interventus protectoratus⁽⁹⁾.

Optandum igitur est fore ut relationes inter Sanctam Sedem et gubernium sinense, quae nunc de die in diem frequentiores sunt et intimiores, deveniant ad statum juridicum normalem per conclusionem concordati et sic Ecclesia in Sinis propriam conditionem juridicam acquirat.

In articulis successivis hujus capitis agemus de juribus missionum in specie ut conditio juridica missionum in Sinis magis illustretur.

(8) PCS, p. 36, 275.

(9) Imperator Kuan-chu ob petitiones legatorum exterorum die 5 martii 1899 sancivit decretum ministerii pro negotiis exteris ut omnes quaestiones inde nascentur circa missiones catholicas tractarentur per legatos nationum protectoratum religiosum exercitum cum ministerio pro negotiis exteris praeposito. Cfr. G. SOULIE DE MORANT, *Exterritorialite et interets etrangers en Chine*. Paris 1925, p. 362 sq.

ARTICULUS II. LIBERTAS EVANGELIUM PRAEDICANDI

I. LIBERTAS INGREDIENDI SINAS

Ecclesia, vi institutionis suae divinae, jus Evangelium libere praedicandi sibi vindicat ubique, cum Redemptor in coelum ascensus officium edocendi Evangelium omnes populos Apostolis eorumque successoribus dederit simulque etiam jus id libere faciendi constituerit. Sinae autem ante annum 1840 clausae erant peregrinis omnibus, indeque etiam missionariis; post pactum Nankinense portus quidam aperti sunt exteris civibus, sed regiones internae semper remanebant interdictae ingressui extraneorum populorum.

Cum vero missionarii noluissent restringere zelum suum intra ambitum portus, sed petivissent regiones intimas Sinarum, auctoritates locales, vel propter inimicitias personales vel propter odium contra religionem, saepe missionarios apprehenderunt eosque condemnarunt ad mortem. Accidit ita an. 1856 in provincit Kwangshe, ut P. Aug. Chapdelaine cum paucis christianis occisus fuerit. Gallia igitur occasionem cepit et bellum una cum exercitu anglico gessit contra Sinas; finito bello conventiones initae sunt an. 1858; in quibus conventionibus libertas ingrediendi internas regiones sinenses missionariis concessa est. ((Cum Religio Catholica habeat pro suo fine ducere hominem ad rectam viam vivendi; christianis (Sinensibus) dari oportet protectionem vitae et familiae. Missionarii deinceps gaudebunt libertate cultus publicos exercendi praecesque effundendi. Isti autem qui juxta normam articuli 8 documentis legitimis muniti sunt, libere possunt ingredi regiones internas Sinarum Evangelium praedicandi causa; auctoritas localis sinensis eos benigne tractare et diligenter protegere sataget ...))⁽¹⁰⁾.

Permissio ingrediendi internas regiones sinenses missionariis conceditur sub conditione, quod isti pagellam seu documentum suae missionis secumferant juxta praescriptum articuli 8 supercitati pacti;

(10) PVNS, vol. IV, tom. I, p. 5.

articulus vero octavus ita se habet: ((Permittitur civibus gallicis ut ingredi possint regiones, ad quas naves exterae pervenire non valent, visitationis causa; sed ipsi cives gallici dabent habere secum pagellam conscriptam in lingua sinensi et gallica, datam a legato vel consule Galliae, et sigillatam ab auctoritate locali Sinarum...)) ⁽¹¹⁾. In principio gubernium Galliae, Sibi jus protectoratus vindicans, solum concedebat pagellam requisitam omnibus missionariis; nunc vero gubernium sinense legitimam habet pagellam concessam ab omnibus guberniis.

II. LIBERTAS PRAEDICANDI EVANGELIUM

In pactis quae libertatem ingrediendi Sinas missionariis procuraverunt, clare dicitur missionarios ingredi Sinas praedicandi Evangelium causa, eisque liberum esse id facere. In libertate praedicandi Evangelium comprehenditur simul triplex respectus hujus libertatis: scilicet libertas praedicandi, libertas credendi et libertas profitendi. (... Inde auctoritas localis sinensis eos (missionarios) Benigne teactare et diligenter protegere sataget. Quisquis ex Sinensibus, quireligionem catholicam profiteri vult, non prohibetur, et christianus, si vitam juxta leges bene ducit, puniri non debet propter religionem. Prohibitiones hujus generis antea acripate vel sculpatae ab auctoritate contra religionem catholicam ubique revocandae sunt)) (Art. 13 pacti cum Gallia an. 1858).

In articulo 8 pacti cum Anglia an. 1858 ita legitur: ((Religio protestans et religio Romana sunt religiones, quae homines ad bonum faciendum ducunt et ut ament proximos sicut seipsos. Propterea omnes propagatores et profitentes harum religionum sine distinctione a jure protegentur et, si isti bene vivunt, ab auctoritate sinensi nec male tractari nec impediri possunt)) ⁽¹²⁾.

Idem habetur in articulo 29 pacti aum Statibus Foederatis A. S.;

(11) PVNS, ibid.

(12) PVNS, vol. II, tom. II, p.3.

ad complementum hujus articuli pactum an. 1969 initum aliquid addidit in articulo 4, dicens: ((In articulo 29 pacti antecedentis stabilitum erat ut omnes propagatores et profitentes religionem protestantem et romanam a lege sine distinctione protegerentur, et si isti bene vivant, ab auctoritate male tractari non possent. Nunc iterum conventum est ut deinceps omnes cives Americani in Sinis degentes non debeant injuriam pati nec mala sufferre propter diversitatem religionum, eodemque modo cives Sinenses in America degentes nihil detrimenti habere debent propter diversitatem religionum. Sepulcra vero, quae a civibus Americanis possidentur in Sinis, vel a civibus Sinensibus possidentur in America, vigilanter protegentur quominus ulla profanatio adveniat)) ⁽¹³⁾.

In articulis supra citatis praeter libertatem ingrediendi regiones internas Sinarum sancitur libertas praedicandi Evangelium. Haec libertas Missionariis catholicis et protestanticis competit et protegitur a jure atque ab auctoritate locali sinensi. Sancitur etiam libertas profitendi religionem catholicam vel protestanticam, quia gubernium sinense promisit ut prohibitiones antea latae contra religionem catholicam vel protestantem amplectendam cessarent; consequenter sancitur etiam libertas cultus publicos exercendi, quia id claris verbis affirmatur in pacto cum Gallia; et etiamsi affirmatio explicita defuisset, hoc venire debuit quasi per se.

ARTICULUS III. JUS ACQUIRENDI BONA IMMOBILIA

I. VICISSITUDO HISTORICA

Gubernium sinense in pactis benignum sese praebeuit semper in concedendis multiplicibus privilegiis, sed valde avarum fuit quoad jus acquirendi bona immobilia. Concessum quidem est in pactis ut peregrini in portibus apertis conducere bona immobilia possent; attamen jus emendi fundos nunquam datum est. In pactis an. 1858, quae

(13) PVNS, vol. III, tom. III, p. 2.

missionariis facultatem ingrediendi Sinas ibique Evangelium praedicandi attribuerunt, nihil de jure acquirendi bona immoveabilia dicitur, et licet hoc jus necessarium sit operae missionali, tamen praesumi haud valuit. Itaque anno 1860 Gallia in pacto supplementario adjunxit in sexto articulo jus acquirendi bona immoveabilia: ((Permittitur missionariis gallicis in omnibus provinciis conducere et emere fundos ibique aedificia aedificare))⁽¹⁴⁾.

((Jus acquirendi immoveabilia missionariis adscriptum, Berthemey, legatus Galliae, a Gubernio Pekinensi rite acceptandum curavit. Die 20 Februarii an. 1865 communicavit Tsungliyamen (Ministerium pro negotiis exteris) cum Berthemey concedendo missiones catholicas immoveabilia emere posse eaque sub titulo missionis possidere. Difficultates, quae ex exortate erant, quod auctoritates locales validitatem emptionis dependere fecerint a sua licentia antecedente, anno 1895 sublatae sunt per interventionem Augusti Gerard (Ministri Galliae). Sufficiebat emptionem factam auctoritati locali notificare et taxam congruam solvere. Anno 1912 auctoritas Pekinensis (Bureau Central de Police de Pekin) iterum postulavit, ut in emptionibus immoveabilium, quae ab alienigenis et missionariis fierent, tum venditor tum emptor praevidiam auctoritatis localis permissionem sibi pro curarent, et quidem sub poena nullitatis actus et insuper gravis mulctae pecuniae. Quae ordinatio interveniente legato Galliae retractata est))⁽¹⁵⁾.

Attamen novae normae pro acquisitione bonorum immoveabilium a Gubernio Nationali Nankinensi promulgatae sunt die 18 Julii 1928. Quae normae ita se habent:

((Art. 1. Religio externa, quae nosocomia vel scholas in regionibus internis Sinarum construere vult et facultatem construendi secundum pacta vigentia suae nationis cum Sinis habet, potest nomine religionis locare fundos et construere, vel locare et emere domos.))

((Art. 2. Religio externa, quae in regionibus internis Sinarum

(14) PVNS, vol. IV, tom. II, p. 2-3.

(15) T. GRENTROP, *Jus mission.* Steyl 1925, vol. I, p. 146.

locat fundos et construit aedificia vel locat et emit domos, debet observare leges sinenses nunc vigentes vel tempore futuro ferendas circa bona immobilia et vectigalia.))

((Art. 3. Religio externa, quae in regionibus internis Sinarum fundos locat et construit edifica, vel locat et emit domos, debet insimul cum proprietario (venditore) contractum denunciare auctoritati competenti (civili) approbationemque ab ea petere. Post approbationem obtentam contractus incipiet valere.))

((Art. 4. Quando vero religio externa in regionibus internis Sinarum locat fundos et construit aedificia vel locat et emit domos; et superficies fundi vel quantitas domorum superat necessitatem, auctoritas competens approbationem contractui dare non debet.))

((Art. 5. Si compertum est quod religio externa fundos locat et construit aedificia vel locat et emit domos propter emolumentum quaestuosum vel propter commercia, auctoritas competens potest eam prohibere vel irritare contractum locationis et emptionis.

((Art. 6. Religio externa, quae ante has normas promulgatas fundos et domos usque nunc possidet, debet, mediante auctoritate competenti civili, illud denunciare gubernio nationali sinensi. Et si fundus ab ea possidetur titulo proprietatis ob contractum emptionis, deinceps possidebitur sub titulo emphyteusis perpetuae.))

((Art. 7. Hae normae provisoriae vigere incipient die promulgationis)) ⁽¹⁶⁾.

II. NORMAE VIGENTES

88. Transcriptis normis recentioribus a gubernii sinensi datis, nunc aggrediamur quaestiones de valore istarum normarum relate ad missiones catholicas.

Inprimis notandum est quod hae normae respiciunt tantummodo

(16) CCIV, tom. V, p. 509.

acquisitionem bonorum immobilium in regionibus internis Sinarum, non vero in Concessionibus ⁽¹⁷⁾ nec in portibus apertis. In Concessionibus res regulantur statutis particularibus, in portibus vero apertis emptio bonorum immobilium practice antea peregrinis permittebatur. Notandum est etiam quod in appellatione ((religio externa)) comprehenditur certe missio catholica, licet gubernium sinense explicitè hoc non declaraverit; econtra declaravit gubernium Sinarum vicariatus et Praefecturas Apostolicas clero locali commissos ⁽¹⁸⁾, necnon associationes actionis catholicae non comprehendendi in hac appellatione ⁽¹⁹⁾.

Neminem latet quantas qualesque graves consequentias hae normae secumtulerint missionibus catholicis, quae (fere) per centum et amplius plures annos multa bona immobilia, speciatim fundos in Sinis possident titulo proprietatis. Non est mirum quod dubia et quaestiones a primordiis temporibus post promulgationem statim exortae sunt tum relate ad interpretaionem cum relate ad applicationem.

89. Primum dubium propositum est gubernio nationali sinensi, quaerens quatenus sit relatio inter has normas et pacta antecedentia et adhuc vigentia. Responsum, quod diversis vicibus repetitum est, affir-

(17) Concessioniones sunt partes aliquarum civitatum sinensium, quae Statibus Exteris locatae sunt in quibus peregrini permanenter habitare possent. Hae concessioniones per privilegium extraterritorialitatis postea sublatae sunt ab iurisdictione sinensi et propriam administrationem habent. Cfr. J. ESCARA, *Le regime des concessions etrangeres en Chine*. Recueil des Cours, 1929, II, p. 1-134.

(18) ((... Vera religio christiana, quae constituitur et praeficitur a civibus nostris; cognoscitur associatio religiosa nostrae nationis et juxta leys potest locare et emere fundos ad aedificandas ecclesias. Quando vero peregrini secrete induxerunt fideles sinenses nomine proprio sed realiter pro ipsis, fraudulenter fundos vel domos emere vel conducere, auctoritas competens debet sever eis interdicare quominus dolus in has res irrepat...)) Cfr. CCJV, p. 824-825, tom. IV.

(19) ((...Si Actio Catholica in Sinis habet suos directores et socios de civibus sinensibus et juxta leges obtinuit recognitiones ab officio superiore centrali vel locali Factionis politicae Nationalis ut associatio religiosa nationalis, tunc non tenetur ad restrictionem articuli primi et terti Normarum Provisoriarum...)). Cfr. *Numerus specialis pro vigesimo quinto anno fundationis associationi A.C. in Civitate Shanghai*. - Shanghai 1937, tom. II, p. 78.

mat standum esse pro valore pactorum. En regula generalis in decreto Yuan (consilium) justitiae die 27 Julii 1931: ((Quando habetur conflictus inter leges internas et conventiones internationales, exceptis conventionibus antea initis, quae praevalere semper debent, singulis vicibus recurrendum est ad gubernium et interim standum pro valore conventionis)) ⁽²⁰⁾. Ministerium pro negotiis exteris die 22 Sept. 1933 explicitum responsum dedit huic dubio: ((Anno 17 Reipublicae Normae Provisoriae promulgatae sunt quominus religio externa in regionibus internis sinarum largos fundos possideret quaestus faciendi causa; sed intentio non fuit gubernii ut jus religionibus exteris in pactis acquisitum permutaretur. Idcirco usquedum pactum istud abrogatum non fuerit, res procedere debet juxta verba pactorum sicut responsum fuit a Yuan justitiae (die 25 Jan. 1922))) ⁽²¹⁾.

In pacto cum Gallia an. 1860 cautum erat de capacitate missionariorum gallicorum ad emendos fundos et domos in omnibus provinciis et in responso ad legatum gallicum Berthem y an. 1865 conceditur capacitas emendi fundos omnibus missionariis catholicis. Hoc quidem debuit evenire, etiamsi id gubernium sinense non ita clare dixisset, quia concessio missionariis catholicis nationis gallicae facta, quatenus est beneficium et privilegium, communicari debuit missionariis catholicis aliarum nationum, quae pactum cum Sinis iniverunt et stipulaverunt de communicatione beneficiorum ⁽²²⁾. Omnes igitur missionarii catholici in Sinis jus habebant ad emenda bona immobilia. Post repetitas responsiones gubernii sinensis plane constat capacitatem emendi fundos in omnibus provinciis adhuc missionariis competere:

(20) CCIV, tom. XI, p. 583.

(21) Renseignement du Bureau sinologique. Shanghai Zikawei, n. 169, 8-9, an. 1933.

(22) Communicatio beneficiorum in jure internationali appellationem habet clausulae ((Etat plus favorable)). Omnes fere conventiones inter Sinas et exterarum nationes antiquitus initae hanc clausulam habent qua privilegia favoresque uni Statui ab auctoritate imperiali Sinarum concessi, ipso facto, ceteris Statibus communicantur. Communicatio vero diversis modis habetur vel plene vel partialiter, vel reciproce vel unilateraliter. Cfr. SOULIE DE MORAND, o.c., p. 33-46.

habemus etiam duo responsa explicita gubernii sinensis circa hanc quaestionem: quorum unum datum est ante promulgationem Normarum Provisoriarum, alterum post promulgationem harum normarum. Legitur in uno responso: ((... Religio protestans in Sinis pro acquirendis bonis immobilibus potest tantummodo contractum emphyteusis perpetuae inire. Religio vero catholica in acquirendo bono immobili secundum pacta inter Sinas et alias nationes inita potest contrahere contractum emptionis)) (die 6 Junii 1928) ⁽²³⁾; legitur in altero responso: ((Secundum pacta religio catholica pro acquirendis fundis in Sinis potest inire contractum emptionis. Sed in contractu notari debet bona empti esse in proprietatem religionis, non vero nomine alicujus missionarii individui ...)) (die 10 Feb. 1930) ⁽²⁴⁾.

Attamen fateri debemus rem non omnino carere difficultatibus circa capacitatem emendi fundos illorum missionariorum qui sunt de nationibus quae vel jam renuntiaverunt omnia privilegia acquisita in Sinis, vel relationes diplomaticas cum Sinis adhuc non habent, vel denique novas conventiones recenter cum Sinis iniverunt. Nam gubernium sinense in suis responsis constanter appellavit ad pacta inita et adhuc vigentia, ideoque non vult recognoscere omnes missionarios nomine religionis emere posse fundos, sed tantum illos, qui secundum pactum suae patriae cum Sinis hanc capacitatem obtinuerunt. Ergo nobis videtur affirmandum esse quod juxta mentem gubernii Sinensis missiones catholicae sunt incapaces ad emendos fundos, si istae missiones reguntur a missionariis nationum, quae pactum vetus de privilegio emendi bona immobilia cum Sinis non amplius conservant. Potest nobis objici responsum gubernii sinensis 1865. Sed respondemus quod illud responsum fuit concessio unilateralis ex liberalitate gubernii sinensis et proinde revocari potest ab auctoritate legitima sinensi. Promulgatio harum Normarum Provisoriarum est voluntas explicita revocationis illius concessionis; quamobrem concessio jam non amplius sustinetur.

(23) Renseignement du Bureau sinol. Shanghai, n. 44, p. 5. an. 1929.

(24) Ibid. N. 60, p. 3, an. 1930, V.

90. Secuudum dubium est, num missiones catholicae, quae jus emendi fundos vi pactorum sibi retinent, teneantur juxta mentem gubernii sinensis ad observantiam istarum Normarum Provisoriarum, exceptis quiden articulis 1 et 6. Nobis videtur obligatio adesse illas Normas observandi etiam pro missionibus emendi fundos capacibus. Primo quia in pactis nihil habetur de legibus contractus regulantibus, ergo gubernium sinense potest tollere leges pro contractibus ineundis et etiam capacitatem emendi intra determinatos limites cohibere. Secundo quia hae normae certe applicari debent pro locatione vel fundorum vel domorum; tunc non est ratio cur contractus emptionis non cadat sub ea ordinatione. Denique de facto constat gubernium sinense observantiam istarum normarum, exceptis excipiendis, ab omnibus missionibus exigere.

91. Dubium habetur circa sensum articuli quinti et quarti, i.e. quando dici debeat missiones catholicas in emendis fundis vel conducendis domibus excessisse ultra quantitatem necessariam, et quando dici debeat missiones catholicas possidere bona quaestus faciendi causa.

Responsum datum est a Yuan justitiae die 7 Julii 1932, dicens: (Articulus quartus Normarum provisoriarum pro acquisitione bonorum immobilium haec statuit: si religio externa in regionibus internis Sinarum locat fundos et construit aedificia, vel locat et emit domos; et superficies fundi vel quantitas domorum superat necessitatem, auctoritas competens adprobationem contractui dare non debet. Superficies necessaria et quantitas necessaria intelliguntur de ea superficie vel ea quantitate quae requiritur ad construendas scholas, ecclesiase et nosocomia. Si superficies vel quantitas superat hunc limitem, et adhibetur ad quaestus percipiendos pro sustentatione illorum operum, superficies vel quantitas considerata est non necessaria)) ⁽²⁵⁾.

Limes igitur superficiei circumscribitur iuxta exigentiam aedificii construendi, quod debet esse vel ecclesia vel schola vel noso-

(25) THERY S.J., *Droit chinois moderne*, Tientsin 1931, p. 335.

comium: quantitas domorum mensuratur ad exigentias illius operis, quod est aperire scholas, ecclesias vel nosocomia.

Alterum responsum datum est a ministerio pro negotiis exteris, in quo dicitur: ((... Articulus 5 Normarum Provisoriarum pro acquisitione bonorum ... respicit contractus acquisitionis fundorum vel domorum a religione extera ineundos post promulgationem. Quod auctoritas localis aliquando erronee interpretata est sensum hujus articuli, iste error jam saepe ab hoc ministerio correctus est ...))⁽²⁶⁾. Vis igitur hujus articuli quinti non est similis articuli sexti efficaciam retroactivam secumferentis.

92. Remanet adhuc aliud magni momenti dubium. Nam die 15 Octobris an. 1929 gubernium sinense decretum promulgavit, in quo imponitur religionibus exteris obligatio notandi quattuor res in contractibus acquisitionis boni immobilis: a) tempus locationis, b) limites et superficies fundorum et quantitatem et formam externam domorum, c) pro quonam usu adhibeantur, qui contineri semper debet intra ambitum finis propagationis fidei religiosae, d) nationalitas religionis⁽²⁷⁾. In decreto hoc igitur exigitur, ut notetur tempus locationis, scilicet duratio locationis, sed in parte narrativa hujus decreti supponitur prohibitio emphyteusis perpetuae (locatio perpetua). Dubium proinde exoritur: contractus locationis ad quantum tempus extendi potest, et post expletionem temporis quid fieri debebit? Ad hoc dubium resolvendum partim contulit responsum Yuan executionis die 29 Sep. 1933 datum⁽²⁸⁾, quod dicit: usquedum pactum vetus abrogatum non feruit, emphyteusis perpetua permittitur. Diximus dubium per hoc responsum partim resolutum fuisse; nam pro contractibus locationis initis vel ineundis a missionibus illarum nationum quae pactum vetus cum Sinis non habent, dubium insolutum remanet.

(26) Numerus specialis pro vigesimo quinto anno foundationis associationis A.C. in civitate Shanghai. Shanghai 1937, tom. II, p. 69.

(27) *Normae executionis juris* (colectio publicata a gubernio nationalis sisensi) 1936, p. 3570-3572.

(28) *Renseignement du Bureau sinol.* Shanghai 1933. N. 145, 33-8.

93. Ultimum dubium habetur circa naturam emphyteusis perpetuae, quia jus civile sinense hanc speciem contractus non admittit. Quaeritur igitur quatenam sit natura hujus contractus. Ad hanc quaestionem solvendam habemus responsum Yuan justitiae die 25 Januarii 1932 datum, in quo dicitur: ((Jus emphyteusis perpetuae, quod tribuitur religioni exterae in articulo 6 Normarum Provisoriarum pro acquisitione bonorum, intelligitur de usu perpetuo et continuo sine limitatione temporis. Natura hujus contractus absolute differt a contractibus locationis et superficiei in jure civili statutis. Haec species contractus emphyteusis perpetuae commutatur tantummodo cum contractibus emptionis initis a religionibus exteris in Sinis ante promulgationem Normarum Provisoriarum. Post vero promulgationem religio externa in locis internis sinarum pro locandis fundis debet observare leges sinenses vigentes et in futuros ferendas juxta articulum secundum illarum Normarum Provisoriarum; cum in legibus vigentibus contractus emphyteusis perpetuae non admittatur, imo duratio locationis in contractibus adnotari debeat, religio externa deinceps non amplius poterit contrahere emphyteusim perpetuam. Hoc per se patet. Attamen usquedum pactum vetus abrogatum non fuerit, res procedere debet secundum pactum)) ⁽²⁹⁾.

ARTICULUS IV. JUS SCHOLAS APERIENDI

I. NORMAE A GUBERNIO SINENSI DATAE

94. ((Ecclesiae est jus scholas cujusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi)) (can. 1375). Hoc jus Ecclesia sibi vindicat ubique atque exercet etiam in terris missionum. Etenim scholae catholicae in terris missionum necessariae sunt necessitate medii tum ad efformandam juventutem christianam tum ad convertendas animas infidelium. Quamobrem missionarii vix suam residentiam in aliquo pago aliquave civitate stabiliverunt, cum

(29) THERY, S.J., *Droit chinois moderne*. Tientsin 1932. I-II, p. 599.

illico excogitant scholas catholicas, etiamsi sint modestissimae, aperire easque perficere ad plenam evolutionem, non obstantibus omnibus difficultatibus. Hoc evenit etiam in Sinis.

Mirum fortasse sit aliquibus quod in pactis veteribus, quae multa privilegia missionibus catholicis procuraverunt, nihil circa jus scholas aperiendi reperitur. Tamen si res examinatur sub luce circumstantiarum locorum ac temporum, silentium hoc bene explicatur. Ante foundationem Reipublicae in Sinis jus condendi scholas erat penes omnes cives, quibus libertas dabatur scholas aperiendi sine adprobatione gubernii. Alumni scholarum privatarum eodem jure gaudebant ut ad examina publica admitterentur. Inde intelligitur, cur omissum sit de scholis missionum cavere, quia necessitas non aderat. Post foundationem autem Reipublicae, jus educationis ad auctoritatem publicam civilem revocatum est et capacitas personarum privatarum ad aperiendas scholas restricta. Missiones catholicae in Sinis his diebus jus scholas proprias condendi non amiserunt quidem, sed illud exercent intra restrictiones impositas a gubernio sinensi.

Scholae a personis exteris apertae censentur ease inter categoriam scholarum privatarum. Normae vigentes pro scholis privatis promulgatae sunt a gubernio sinensi die 29 Augusti 1929, in quibus graves restrictiones libetati juriq̃ Ecclesiae impositae sunt. Dicitur enim:

((Art. 2. Schola privata post obtentam permissionem a competentī auctoritate educationis nationalis fundari potest; eadem permission requiritur pro mutatione vel extinctione istiusmodi scholae.))

((Art. 3. Schola privata recognitionem a competentī auctoritate educationis nationalis obtinere debet et subjicitur vigilantiae directionique ejusdem auctoritatis. Quod ad constitutiones, lectiones et cetera omnia observantur normae a ministerio educationis latae.))

((Art. 4. Si schola privata aperta est a civibus exteris, hujus scholae praeses vel rector debet esse persona cum nationalitate sinensi.))

((Art. 5. Si schola privata fundata est ab associationibus religios, educatio religiosa non potest esse disciplina obligatoria, nec

potest fieri propagatio fidei religiosae in omnibus aliis materiis. Si habentur cultus religiosi publici vel caeremoniae religionsae in scholis, alumni cogi non possunt ad assistentiam. In scholis vero elementariis cultus religiosus prohibetur.))

((Art. 6. Si schola privata male processerit vel normas gubernii non observaverit, auctoritas competens educationis nationalis potest revocare recognitionem jam datam vel illam scholam dissolvere)) ⁽³⁰⁾.

II. NORMAE AB ECCLESIASTICA AUCTORITATE DATAE

96. Jus sinense per normas supra citatas non intendit quidem scholas missionum prohibere, sed animum habet frustrandi finem scholarum missionum, prohibendo instructionem religiosam et restringendo exercitium cultus publici. Sed institutio religiosa non est absolute interdicta, quia ista, licet non possit esse disciplina obligatoria, potest tamen esse res libera vel facta extra horas scholarsticas, et cultus publici religiosi in scholis mediis et superioribus possunt exerceri intra aedificia scholastica, in scholis elementariis exerceri etiam possunt extra aedificia. Propterea ad evitanda mala majora Missio catholica in Sinis sese conformare his normis voluit et in Primo Concilio ita statuit:

Numer 782. 7. Cum in aliis provinciis aliae conditiones exiguntur ut scholae a gubernio recognoscantur, singulorum Ordinariorum erit definire utrum praestet neene sub conditionibus quae imponuntur recognitionem petere.

((2. Sed quidquid est de accipiendis vel non accipiendis conditionibus a quibus pendet recognitio, ac similiter quidquid est de ratione studiorum admussim definienda vel non definienda juxta programmata gubernii: ratio habeatur horum programmatum et quoad annorum curriculum seu disciplinarum tempus, et quoad ipsas disciplinas in scholis discendas.

(30) CJD, Vol. IV, tom. IX.

((3. Hoc tamen minime impedit quominus omni ope atque opera nitamur ut Gubernium aequis conditionibus et quamprimum recognoscat scholas nostras catholicas, potestate scilicet nobis facta eligendi non tantum magistros, sed rationem studiorum singillatim consideratam et praecipue libros quos meliores aestimamus))⁽³¹⁾.

97. In praxi auctoritas ecclesiastica ex una parte satagit ut plenior libertatem obtineat, ex altera parte observatiam normarum gubernii curat in scholis catholicis.

Delegatio Apostolica in Sinis die 1 Augusti 1930 duas litteras ad Ordinarios omnes Sinarum mandavit circa quaestionem scholasticam, quarum una agebat de cultura cleri indigenae et altera de lingua moderna sinensi. In primis litteris Delegatus Apostolicus, Exc. mus Celsus Costantini, dicit: ...Quod vero ad Decretum 749 Primi Concilii Sinesnsis se refert, hoc meminisse juvat: ((per hos annos majoris adhuc momenti et ponderis sunt scholae catholicae: natio enim Sinensis de integro renovatur: novus ordo in scholis praeparatur: rerum mutatio fiet contra nos si a scholis absumus: nulla enim absentium habetur ratio! Omni igitur ope et opera nitamur ut salutis christianae semina in hoc novae vitae fermento deponamus. Quapropter et per Commissionem Synodalem, et per Actionem Catholicam perque alia media utilia, ex parte mea pro viribus omnia experiar utstrarum Missionum scholis legitima tribuatur libertas. At difficultates quae in praesens obstant quaeque in perpetuum obstabunt minime dissimulandae sunt. Tempus enim providendum est quo in nostris quoque scholis Professores et Magistri exquirentur debitis diplomatibus muniti. Absque mora ideo sedulo satagendum est ut tales habeamus Professores et Magistros ...))⁽³²⁾. In altera epistola hochabatur : (Omnibus sane compertum est a Sinensibus Auctoritatibus officialiter in documentis vitae publicae et in scholis linguam illam introductam esse quae vulgo dicitur Paihua, quaeque est veluti emendata species

(31) PCS, p. 294-295.

(32) CELSO COSTANTINI, *Aspetti del problema missionario*. Roma, 1935, p. 142.

Sinensis vernaculi sermonis. Recentioribus quoque decretis suis Sinense Gubernium instat huic novi idiomatis emendationi, quod ubique celeriter diffunditur, cum hac lingua exclusive fere redigantur scholastici libri, ephemerides, divulgationis libelli, aliaque hujusmodi ... Nos autem, Ecclesiae discipuli, laeto animo hujusmodi novi Sinensis sermonis introductionem suscipere debemus, cum instrumentum plus quam efficax nobis praebetur ad veritatem catholicam scriptis latius diffundendam...))⁽³³⁾.

(33) CELSO COSTANTINI, *Aspetti del problema missionario*. Roma, 1935, p. 140-141.

Caput IV

De Statu Civili Missionariorum

In Sinis

Post longam diffusamque praeparationem in praecedentibus capitibus factam idoneos jam nosmertipsos aestimamus ad ingredendum argumentum proprium nostri studii inquirendo normas juridicas missionariorum in Sinis laborantium relate ad jura civilia; etenim in antecedentibus capitibus exposuimus atque enucleavimus fontes ex quibus hae normae juridicae deduci debent. Introductio generalis nobis tradidit principia communia, quibus norma juridica peregrinorum his diebus regitur; caput primum nobis illustravit fontes necnon principia ex quibus norma juridica pro missionariis quoad jura civilia constituitur; in capite secundo fundamentum huic nostro studio positum est, quia hoc caput principia in praecedentibus exposita applicat ad jus peregrinum missionarium in Sinis; caput autem tertium, quod superfluum esse alicui videri possit, explicavit statum specialem missionum in Sinis, qui status productus est ex aestimatione gubernii sinensis de missionibus catholicis, quae de facti recognoscuntur esse activitates missionariorum, sicut commercia esse activitates ceterorum peregrinorum. Nos autem conamur discernere missiones a statu civili missionariorum et statuere ad normam juris sinensis quid pertineat ad missiones quidve pertineat ad missionarios uti privatos cives externos.

Caput igitur quartum incipit studere principiis generalibus, quae moderantur statum civilem missionariorum in Sinis.

Status civilis, uti supra exposuimus, hic sumitur in sensu, qui denotat complexum jurium personalium quibus persona constituitur et definitur in jure civili. In capite praesenti nos inquirimus de normis juridicis quibus missionariorum status civilis regulatur.

ARTICULUS I. DE NATIONALITATE CIVILI

I. CONFLICTUS NATIONALITATIS

Antequam de normis juridicis peregrinorum agitur, considerandum est criterium juridicum quod indicat ad quam Civitatem pertineat una persona, nempe cujus Civitatis cives sit aliqua persona. Hoc criterium vocatur jus nationalitatis.

Leges a Statibus modernis datae ad definiendam nationalitatem differentes sunt inter se propter diversitatem principiorum quae istas leges dirigunt. Accidit igitur quod leges sinenses de nationalitate concordantes esse non possunt cum legibus omnium et singulorum Statuum; proinde conflictus exoriri potest circa nationalitatem alicujus peregrini vel missionarii. Nam reapse diversi dantur casus: e.g. missionarius natus in Sinis ex parentibus exteris, vel natus ex parentibus peregrinis in alio Statu extra patriam, vel est filius adoptivus parentum sinensium; vel aliqua religiosa fuit coniux mariti sinensis, vel aliquis religiosus laicus vel etiam sacerdos fuit maritus mulieris sinensis juxta adoptionem maritalem, vel fuit natus ex illegitimo matrimonio mixto, scilicet ex patre extero et ex matre sinensis, vel tandem acquisivit nationalitatem sinensem, sed juxta leges patriae praecedentis retinet adhuc sibi nationalitatem antecedentem. In omnibus his casibus, si conflictus exoritur, quaeritur inde: nationalitas in casu secundum quamnam legem definienda sit.

Nobis videtur distinguendus esse duplex casus: quaestio de nationalitate sinica et quaestio de nationalitate externa. Relate ad primam quaestionem, nempe quando quaeritur utrum aliqua persona sit civis sinensis necne, jus sinense de nationalitate praevalere debet omnibus aliis juribus; quia, cum quaestio agatur de nationalitate sinensi et in Sinis, justum est sequi sinense jus. Relate ad secundam quaestionem, nempe quaeritur ad quamdam nationalitatem exteram pertineat missionarius quidam; tunc quaestio ducitur ad multiplicitatem nationalitatis.

II. MULTIPLICITAS NATIONALITATIS

Multiplicitas nationalitatis duplici modo haberi potest, scilicet vel eodem tempore vel successive. Multiplicitas nationalitatis eodem tempore exorta habetur quando aliqua persona ex nativitate statim duas vel plures nationalitates sibi recepit juxta diversas leges quae super ipsam momento nativitatis vigorem exercent. Multiplicitas successiva nationalitatis habetur quando una persona in decursu vitae successive acquisivit plures nationalitates quin amiserit priores. Quaestiones hae momentum habent in jure peregrino sinensi, quia peregrini in Sinis non gaudent eodem gradu jurium, sed regulantur secundum pactum patriae peregrini cum sinis initum. Attamen in jure sinensi non datur principium generale ad dirimendas has quaestiones neque jus et consuetudo internationalis aliquod criterium commune nobis perhibet; nobis igitur videtur quaestionem de multiplicitate nationalitatis practice resolvi debere juxta praescripta juris sinensis de dubiis circa jus patriae peregrinorum.

III. JUS PATRIAE

Quaestio intime connectitur cum quaestione de nationalitate et est haec quae definit quale jus sit jus patriae peregrini. Saepe saepius jus peregrinum dicit in casu applicandum esse jus patriae; sed si peregrinus multiplices nationalitates et consequenter plures patrias habet quale jus erit jus patriae istius peregrini? Inprimis igitur decidendum est de jure patriae. Jus sinense ita statuit in NAJ:

((Art. 2. — Quando juxta has normas praesentes applicari debet jus patriae personae causam habentis, ipsa vero persona multiplices nationalitates habet, tunc secundum nationalitatem ultimatim receptam statuitur jus patriae; si autem juxta jus de nationalitate ipsa persona recognoscitur esse civis sinensis, tunc applicatur jus sinense.))

((Si persona causam habens nullam nationalitatem habet, jus patriae est jus loci domicilli; si domicilium non habetur, jus patriae est jus loci commorationis.))

((Si jus patriae personae causam habentis, differens habetur in diversis regionibus ipsius Civitatis, tunc applicatur jus illius regionis, ad quam persona causam habens pertinet)).

((Art. 3. — Jus patriae personae moralis civium exterorum, quae adprobata et recognita est a jure sinensi, est jus loci domicilii)).

In articulo secundo jus sinense tradidit principium juxta quod multiplicitas nationalitatis relate ad jus patriae resolvi debet. Attamen jus sinense contemplatur tantummodo multiplicitatem successivam, tacet vero de multiplicitate simultanea; nam si peregrinus quidam momento nativitatis acquisierat plures nationalitates, quomodo decidi debet quaestio circa jus patriae hujus peregrini? e.g. infans a parentibus germanicis in Argentina natus secundum jus germanicum est civis Germaniae, secundum jus argentinum est civis Argentinae. Quaestio haec in discussionibus diversas habet opiniones quarum tamen duae nobis videntur esse praeferendae; scilicet vel quaestio judicatur secundum jus quod concors est cum principio juridico legum sinensium de nationalitate, vel secundum jus quod peregrinus ipse ex suis multiplicibus patriis elegit. Sed in praxi nobis placet solutio quae affirmat peregrinum esse civem illius Civitatis et consequenter habere jus illius Civitatis pro jure patriae, a cujus gubernio documentum (Passport)) obtinuit et retinet.

Aliquae explicationes adhuc requiruntur ad clare intelligendum sensum citati articuli. Institutum domicilii in jure sinensi sic habetur: ((Si quis in determinato loco commoratur cum intentione per longum tempus ibi commorandi, eo ipso domicilium suum in illo loco acquirit. Una persona eodem tempore duo domicilia habere non potest)) (Art. 20) ⁽¹⁾.

((Domicilium personae quae aut nullam aut limitatam capacitatem ponendi actus (juridicos) habet, est domicilium tutoris legitimi)) (Art. 21).

((In una ex circumstantiis infra scriptis locus habitationis habetur

(1) CJCS, p.6-7.

tanquam domicilium: 1) Si domicilium ignoratur. 2) Si quis in Sinis non habet domicilium, nisi ad normam legis adhiberi debet lex loci domicilii)) (Art. 22).

((Domicilium amittitur, si quis e loco domicilii discedit cum intentione domicilium amittendi)) (Art. 24).

In jure civili sinensi sermo non habetur de quasi-domicilio et de loco commorationis et videtur jus sinense voluisse excludere institutum quasi-domicilii; sed in lege de censu post codicem juris civilis promulgata (an. 1934) expresse sermo est de domicilio et quasi-domicilio. Non constat autem de effectibus juridicis quasi-domicilii, quia lex de censu nihil de hoc dixit.

IV. JUS SINENSE DE NATIONALITATE

Jus sinense de nationalitate sequitur principium consanguinitatis et admittit acquisitionem legalem. Sunt igitur duo modi: modus naturalis per nativitatem et modus derivatus per acquisitionem. Modus naturalis est modus quo aliqua persona sine positivo interventu auctoritatis publicae pertinet ad aliquam determinatam nationem scilicet sinensem, suppositis requisitis; modus derivatus est modus qui perficitur per positivum actum auctoritatis publicae ad adscribendam quandam personam ad aliquam nationem determinatam. In Jure sinensi habetur:

1. Modus naturalis:

((Personae sequentes (naturaliter) ad nationem sinensem pertinent:

- A. In momento nativitatis, pater erat civis sinensis;
- B. Postumus, sed ejus pater, quando moriebatur, erat civis sinensis;
- C. Pater ignoratur vel non habet nationalitatem, mater vero est civis sinensis;
- D. Natur in territorio sinensi, pater et mater ignorantur, vel non habent nationalitatem)) (Art. I. Jus de nationalitate).

2. Modus derivatus:

((Personae alterius nationis nationalitatem sinensem acquirere possunt, si una ex circumstantiis sequentibus intervenit:

- A. Mulier datur in matrimonium viro sinensi; excepto casu quo juxta legem propriae nationis mulier post matrimonium propriam nationalitatem adhuc conservat;
- B. Natus ex patre sinensi (illegitime) et recognitus a patre;
- C. Pater ignoratur vel non recognovit prolem esse suam; mater est sinensis et prolem recognovit;
- D. Adoptatus a parentibus sinensibus;
- E. Concessio nationalitatis sinensis facta a gubernio Sinarum)) (Art. 2. Jus de nationalitate) ⁽²⁾.

Omnibus compertum est quod jus patriae non potest esse norma quoad omnia jura civilia peregrinorum, quia, sicut vidimus de conditione juridica peregrinorum, non omnia jura civilia eorum recognoscuntur a gubernio commorationis. Peregrini enim fere ubique conditionem inferiorem juridicam obtinent quam cives propriae Civitatis. Inquirimus paulisper de juribus civilibus, quibus missionarii in Sinis gaudere possunt uti personae civiles. Gubernium sinense tum in pactis tum in legibus internis nunquam aequiparavit peregrinos ad proprios cives et voluit restringere jura peregrinorum ad determinata objecta. In pactis novis concessio quidem est larga, sed conditio suspensiva apponitur, scilicet si ceterarum nationum cives in Sinis eisdem juribus jam gaudent.

ARTICULUS II. DE CAPACITATE JURIDICA

I. CAPACITAS JURIDICA

Fundamentum status civilis alicujus personae consistit in ejus

(2) CJD, vol. I, tom. III, p. 23 sq.

capacitate juridica; propterea in codice singulorum Statuum capacitas juridica pōnitur ante omnia alia.

Jus sinense relate ad capacitatem juridicam personae statuit: (Cives exteri intra legum ordinationumque fines capacitate juridica gaudent)⁽³⁾. Ad mensurandam vero capacitatem peregrinorum jus sinense clavis verbis suum principium enuntiavit: ((Capacitas juridica personae aestimatur secundum jus patriae. Si peregrinus quidam secundum jus patriae incapax habetur, secundum vero jus sinense (civile) capax nuncupatur, habendus est capax relate ad actus juridicos in Sins ponendos, exceptis casibus de jure familiae et successionis, exceptisque actibus juridicis de bonis immobilibus extra Sinas sitis. Peregrinus qui secundum us patriae capax erat, post acquisitionem nationalitatis sinensis incapax est secundum jus sinense (civile), conservat suam capacitatem juridicam)) (Art. 5. NAJ).

In hoc articulo enuntiatur principium generale secundum quod capacitas juridica peregrinorum sequitur jus patriae. Relate ad capacitatem juridicam personae physicae ante omnia inspicienda est ejus origo per nativitatem naturalem, postea causae, quae capacitatem afficere aliquo modo possunt scilicet aetas, sexus, status mentis ... In his omnibus missionarius in Sinis respectua ad jura civilia, sequitur jus patriae propriae.

Post enuntiatum principium generale jus sinense duas modificationes adjunxit: in prima modificatione confertur capacitas juridica illis peregrinis qui secundum jus patriae incapaces sunt. Quae concessio facta est ad praecavendas confusiones et dolos, quia, cum cives sinenses non semper cognoscant jus patriae peregrinorum cum quibus forsitan negotium juridicum inire volunt, ancipites esse debent, quin imo facile decipiuntur circa capacitatem agendi alterius partis contrahentis. Sane prudenter jus sinense modo generali providet ut illi peregrini incapaces sive propter defectum aetatis, sive propter sexum, sive propter alias causas, fiant capaces, si jus sinense civile nihil contrarii

(3) CJCS, p. 400.

habet, relate ad actus in Sinis ponendos, exceptis excipiendis. In altera modificatione jus sinense respicit casum particularem, in quo peregrinus quidam per acquisitionem nationalitatis sinensis fit incapax secundum praescripta juris civilis sinensis; in hoc casu jus indulget ut ille peregrinus, nunc autem civis sinensi, conservet capacitatem antecedentem; nam injustum et ingratum esse videtur si quis acquirendae nationalitatis causa perdere deberet suam capacitatem juridicam antecedentem; postea multae difficultates enasci possent circa actus antea positos.

Movetur a doctoribus quaestio circa sensum termini ((capacitas juridica)). Queritur scilicet quando jus loquitur de capacitate juridica peregrinorum, utrum intelligitur tantum de capacitate subjectiva, i.e. capacitate agendi, an etiam de capacitate objectiva? ⁽⁴⁾. Terminus ((capacitas juridica)) intelligendus est tum de capacitate subjectiva tum de capacitate objectiva, quia jus simpliciter dicit de capacitate juridica. In jure etiam peregrino moderno distinctio haec de capacitate subjectiva et objectiva non semper attenditur.

II. CAPITIS DEMINUTIO

((Peregrinus qui domicilium vel quasi-domicilium in Sinis habet, declarari potest interdictus circa administrationem bonorum, si causa interdictionis datur tum secundum jus patriae tum secundum jus sinense)) (Art. 6. NAJ).

In hoc articulo complura notanda sunt: 1) dicitur ((peregrinus in Sinis domicilium vel quasi-domicilium habens)) missionarius semper censetur habere domicilium in Sinis, quia, postquam perevenit in Sinas, animum certo habet permanendi in missionibus et de facto ibi semper permanet. 2) dicitur ((declarari potest interdictus)) quia declaratio haec non fit ab auctoritate publica ex officio, sed ex petitione personarum juxta praescripta juris; in jure civili sinensi statuitur, peti-

(4) TANG-CHE-CHANG. *Jus internationale privatum in Sinis*, 1935, p. 110 sq.

tionem talem exhibendam esse a conjuge vel saltem a duobus consanguineis propinquioribus. Pro missionariis in Sinis haec conditio difficulter verificatur. Aliae duae quaestiones connexae cum hac praesenti nascuntur, quarum prima circa valorem declarationis factae a tribunali patriae missionarii agitur; altera vero circa posibilitatem petitionis faciendae ab Ordinario loci ad obtinendam talem declarationem. Declaratio interdictionis a tribunali patriae facta valorem obtinet etiam in Sinis nisi causa interdictionis secundum jus sinense non habebatur. Petitio autem facta ab Ordinario loci ad obtinendam declarationem interdictionis adversus aliquem missionarium, utique relate ad jura civilia, a tribunali sinensi non admittetur, quia jus talem petitionem non recognoscit. 3) dicitur ((si causa declarationis tum secundum jus patriae tum secundum jus sinense adest)); occurrere oportet praesentiam causae ex utroque jure; sin minus declaratio invalida erit.

III. EXTINCTIO CAPITIS

De extinctione capitis per mortem jus sinense statuit: ((Peregrinus, qui domicilium vel quasi-domicilium in Sinis habet, et ignoratur utrum in vita sit vel jam mortuus, declarari potest secundum jus sinicum mortuus relate ad bona sita in Sinis et ad relationes juridicas ad normam juris sinensis habitas)) (Art. 8 NAJ). Cum missionarius domicilium certe in Sinis habeat, si quando ignoratur vita et mors ejus, declarari potest ipse mortuus a tribunali, quod est tribunal sinense commune; et declaratio fit secundum jus sinicum.

Jus sinicum civile quoad hanc declarationem ita sese habet: ((Si homines sine vestigiis ab aliorum oculis evanescent, completis post eorum disparitionem decem annis, judex a persona, cuius interest, rogatus, potest eos mortuos declarare. Si persona dispersa est propter pericula specialia, declaratio mortis fieri potest post disparitionem trium annorum)) (Art. 8). ((Persona, cujus mors declarata est, aestimatur esse mortua tempore definito in declaratione. Hoc tempus mortis debet esse dies ultimus temporis requisiti in articulo 8, exceptis casibus in quibus adest probatio contraia (Art. 9). ((Si duae vel

plures personae eodemtempore periculum subierunt et probari nequit quis eorum prius vel posterius mortuus sit, praesumuntur eodem tempore mortui esse))⁽⁵⁾.

Quaestio de effectibus declarationis mortis non habet facilem solutionem: quaeritur enim: Utrum declaratio mortis producit effectus juxta jus civile sinense an juxta jus patriae peregrini? Videtur sensus legis esse pro jure civili sinensi, quia lex dicit praecise declarationem valere relate ad bona et actus in Sinis. Practice haec quaestio resolvitur per alia principia juris peregrini; nam de bonis peregrini sitis in Sinis jus civile sinense certe applicatur, et pro relationibus juridicis secundum normam juris sinensis habitis secundum hos jus regi etiam debent earum effectus.

ARTICULUS III. JURA CIVILIA MISSIONARIORUM IN SINIS

I. JURA CIVILIA SECUNDUM PACTUM

Jura civilia in pactis veteribus perpauca statuta sunt:

((in portibus apertis ... locare domos vel horrea deponendarum mercium causa, vel locare fundos ad construendas domos vel horrea...)) (Art. 1. pacti cum Gallia an. 1858).

((in portibus apertis ... conducere procuratores, interpretes, secretarios, nautas et operarios, possunt conducere magistros qui eos linguam et litteraturam sinicam vel idiomata vernacula locorum doceant, conducere quoque illos qui eos in laboribus litteraturarum et artium adjuvent. De stipendiis vel ipsi inter se convenient, vel consules pro ipsis stipulent. Cives gallici possunt insuper docere cives sinenses linguam gallicam vel alias linguas, possunt vendere libros gallicos atque emere libros sinenses)) (Art. II, pacti cum Gallia an. 1858)⁽⁶⁾.

(5) CJCS, p. 3-4.

(6) PVNS, vol. IV, tom. I, p. 4.

Missionarii in Sinis his omnibus juribus gaudent non tantum in portibus apertis, sed etiam in regionibus internis ad quas ipsi accedere possunt. Jus autem ad acquirendas domos vel locandos fundos missionariis non competit in regionibus internis, nisi ipsi hos actus juridicos ponant nomine religionis; nam permissio ingrediendi regiones internas ibique bona immobilia acquirendi concessa est sub conditione quod ipsi agunt propagandae fidei causa, non vero propter alias causas. Idcirco missionarius, utpote persona civilis privata, nomine proprio non valet locare neque emere bona immobilia in internis Sinis.

De cetero Primum Concilium Sinense etiam exercitium juris ad bona immobilia acquirenda coartavit, statuendo: ((Quamvis missionarii et sacerdotes indigenae de bonis patrimonialibus libere statuere possint, nulli tamen eorum licet emere fundos, domos vel alia immobilia, etsi propria pecunia, sine licentia Ordinarii et nonnisi juxta nomas ab eodem Ordinario in singulis casibus tradendas)) (Num. 159) ⁽⁷⁾.

Jus quod peregrinis conceditur ad commercia gerenda in portibus apertis, a missionariis non vindicatur propter prohibitionem juris canonici; dicit Primum Concilium Sinense: ((Lex ecclesiastica, enuntiata in canone 142 et qua prohibetur clericis exercitium negotiationis aut mercaturae, magis magisque urget in Missionibus, cum ex sola mercaturae suspicione, multa impedimenta afferantur propagationi fidei)) (Num. 157) ⁽⁸⁾.

Revoari juvat in memoriam instructionem S.C. de Propaganda Fide die 6 Januarii 1920 datam, cuius meminit etiam Primum Concilium Sinense (Num. 23): ((1) Vitent itaque missionarii patriae etiam sermonis inter alienigenas propagandi studium; ne ita videantur nationis suae commodo atque utilitati magis quam animarum saluti prospicere. Curent populorum ad quos missi sunt linguae genus addiscere...)) ⁽⁹⁾.

(7) *Sylloge*, p. 133.

(8) PCS, p. 71.

(9) PCS, p. 71.

II. JURA A JURE INTERNO SINENSI CONCESSA

1. Peregrini debitis ornati qualitatibus possunt esse advocati pro causis eorum connationalium ⁽¹⁰⁾. Tamen missionarius hoc jure non fruitur in causis civilibus, cum ipse prohibitus sit a jure cannico (can. 139); potest vero eo uti si agitur de causis missionum. Videtur etiam esse admittendum quod missionarius potest esse advocatus pro causis alterius missionarii qui advocatum laicum idoneum invenire non potest, licet causa agatur apud tribunal civile.

2. Peregrini debitis ornati qualitatibus possunt esse medici ⁽¹¹⁾. Missionarii autem clerici medicam vel chirurgicam artem exercere non possunt sine indulto apostolico (can. 139); indultum apostolicum Ordinariis locorum missionum datum est ut ipsi permittere possint suis missionariis artem medicam exercere sub cautelis; dicitur enim in nova Formula facultatum a S.C. de Propaganda Fide concessarum: (n. 44 Permittendi suis missionariis ut artes medicinae et chirurgiae exercere valeant, dummodo in iis periti sint, operentur absque incisione, praeterquam ad sanguinem emittendum, et nihil exigant pro hujusmodi exercitio; et in curantibus mulieribus ea vitent, quae sanctitatem characteris, quo insigniti sunt, dedecent)) ⁽¹²⁾.

3. Peregrini possunt fundare associationes ad effodenda mineralia ⁽¹³⁾; exercitium hujus juris esse absolute prohibitum missionariis non audemus affirmare, quia jus canonicum non videtur vetare omnino clericos ad constituendos titulos in his associationibus; dari enim potest ut quidam missionarius titulum constitutum in quadam associatione hujus generis vel per successionem hereditariam, vel per legatum, vel per donationem, vel etiam per extinctionem debiti suscipere debeat. Ratio non videtur adesse cur missionarius hunc titulum accipere susceptumque sibi retinere non possit.

(10) CCJV, tom. XI, p. 119.

(11) CJD, vol. I, tom. 3.

(12) Cfr. GIUSEPPE STANGHETTI, *Prassi della S.C. de Propaganda Fide*. Roma, 1943, p. 72, PCS, n. 747, p. 286.

(13) CJD, vol. III, tom. VIII.

4. Peregrini in Sinis habent ((jus auctoris)). In normis de jure auctorum exequendo ita statuitur: ((1) Cives exteri, qui edunt opera exclusive destinata pro utilitate Sinensium, possunt scribere sua opera in registro publico; 2) Cives exteri, de quibus in numero praecedenti agitur, sunt cives tantum earum Civitatum, quae recognoverunt jus auctoris attribuendum civibus sinensibus in earum territorio commorantium; 3) Opera juxta normam numeri primi in registro publico inscripta a die inscriptionis gaudent jure auctoris per decem annos))⁽¹⁴⁾.

Meminerit missionarius praescriptionum juris ecclesiastici relate ad permissionem et praevium consensum superioris pro editione suorum scriptorum (can. 1386).

III. CETERA JURA

Praeter jura supra enumerata adhuc sunt plura, quae pertinent ad statum civilem missionarii. De his juribus regula generalis dari non potest; nitamur autem aliqua principia tradere juxta naturam juris.

1. Jura illa personalia, quae a natura hominibus data sunt et sine quibus vita humana in discrimine versatur, missionariis in Sinis competere debent, licet expresse recognita non fuerint in pactis neque in legibus internis.

Jus internationale pro incolumitate vitae et libertatis et bonorum patrimonialium peregrinorum exigit ut Status commorationis specialem tutelam tribuat peregrinis. In pactis inter Sinas et exterarum nationes mentio saepe facta est huius tutelae.

2. Jura familiae missionariis in Sinis competunt, exceptis casibus in quibus jus ecclesiasticum vel jus sinense aliud expresse caverit; neque negari potest jus hereditarium missionariis.

3. Jura realia peregrinorum in Sinis quoad bona mobilia sunt perfecta, quoad vero bona immobilia excluditur jus proprietatis, nisi in aliquo casu pactum internationale aliud expresse statuerit.

(14) CPSJ, tom. IX, p. 153.

ARTICULUS IV. CAPACITAS PERSONAE JURIDICAE

Cum missionarii uti personae civiles non prohibeantur constituere aliquam personam juridicam pro exercitio jurium civilium, nostrum est aliquid de capacitate personae moralis dicere. Atamen haec inquisitio nostra interest non tam propter personam moralem missionariorum, uti civium exterorum, quam propter varia opera missionaria quae a gubernio sinensi considerantur esse associationes civium exterorum.

I. NATIONALITAS PERSONAE MORALIS

In jure internationali hodierno admittitur persona juridica externa, sed valde disputatur de principio secundum quod nationalitas personae moralis dignoscenda sit. Cum persona juridica non sit ens juridicum simplex sed compositum, principium de nationalitate assumi potest ex diversis aspectibus, nempe vel ex membris, vel ex summa bonorum, vel ex loco sedis associationis etc. Nullum autem principium ex unico respectu deductum sufficit ad stabiliendam nationalitatem personae moralis. Etenim si principium assumitur ex membris, ejus nationalitas nunquam determinatur nec determinari potest, quando membra pertinent ad diversas nationes; neque principium ex summa bonorum, quando titulares sunt cives diversarum Civitatum; neque principium ex loco sedis, quia associatio habere potest plures sedes sitas in differentibus, Statibus, et cives alicuius Civitatis possunt etiam constituere associationem cum sede sita extra patriam. Idcirco si quaerere velimus de personis moralibus missionarium pro juribus civilibus, responsum certum a nobis dari non poterit usque dum gubernium sinense aliquid determinatim expressius statuerit.

Tamen nobis non placet opinio illa quae tenet personam moralem esse considerandam tantummodo dupliciter, scilicet vel esse internam (pertinentem ad cives) vel externam (pertinentem ad peregrinos), quin respiciatur ad nationalitatem. Nam in jure sinensi pro constitutione personae moralis peregrinorum viget principium reciprocitatis, nempe

permittitur peregrinis alicujus nationis constituere personam moralem in Sinis, si patria illorum peregrinorum permittit Sinensibus easdem personas morales in suo territorio constituere. Si nationalitas personae moralis non consideraretur, tunc hoc principium difficulter recipiet suam applicationem; nam jus peregrinum sinense semper attendit ad nationalitatem peregrinorum etiam relate ad jura personae moralis; si vero persona, moralis habetur sine nationalitate, tunc fiet magna confusio.

Nobis videtur nationalitatem personae moralis peregrinorum in Sinis juxta principium desumptum ex membris et ex summa bonorum practice decidi debere.

II. CONSTITUTIO PERSONAE MORALIS EXTERAE

Requisitum necessarium, ut persona quaedam moralis peregrinorum in Sinis constitui possit, consistit in inscriptione in registrum publicum juxta normam juris. In codice juris civilis ita statuitur: ((Persona juridica peregrinorum non juridice recognoscitur constituta, nisi ad normam juris)) (Art. II. De Normis ad exequendum codicem juris civilis) ⁽¹⁵⁾. In jure civili: ((Persona moralis non existit juridice, nisi apud auctoritatem competentem inscriptionem in registrum publicum fecerit)) (Art. 30) ⁽¹⁶⁾.

Norma pro inscriptione variatur secundum naturam personae moralis; jus enim sinense distinguit tres classes personae moralis: persona moralis collegialis pro bono communi, persona collegialis pro lucro negotiationis, persona non collegialis.

III. CAPACITAS JURIDICAE PERSONAE MORALIS EXTERAE

In Normis ad exequendum codicem juris civilis relate ad capacitatem personae moralis peregrinorum verbis sat claris hoc statuitur: (

(15) CJCS, p. 95.

(16) CJCS, p. 8.

(Persona moralis peregrinorum recognita a jure (sinensi) intra limites legum eadem jura habet ac persona moralis ejusdem speciei constituta a civibus sinensibus.))

((Persona moralis nuper dicta eandam obligationem observandi leges sinenses habet ac persona moralis civium sinensium)) (Art. 12) ⁽¹⁷⁾.

Objectum hujus articuli consistit in determinanda sphaera exercitii jurium quae pertinent ad personam moralem peregrinorum. Jus, quod capacitatem juridicam hujusmodi personae moralis regulat, est jus patriae sicut pro capacitate juridica personae physicae. In articulo supracitato modificatio quaedam adoptata est a jure sinensi, scilicet determinando capacitatem personae moralis exterae eandem esse ac personam moralem iternam, ita ut si persona moralis externa juxta jus patriae minorem vel majorem capacitatem habeat, ejus capacitas in Sinis augeatur vel diminuatur secundum capacitatem personae moralis sinensis.

Cumque principium generale in hoc articulo stabilitum per pactum vel per leges internas modificari possit, ita capacitas juridica personae moralis peregrinorum in Sinis practice non omnino adaequat capacitatem moralis personae sinensis; etenim in omnibus illis casibus, in quibus jus sinense negat capacitatem agendi personae physicae peregrinorum, etiam capacitas agendi personae moralis exterae negatur, e.g. sicut peregrinus in Sinis non potest emere fundos in internis regionibus, ita etiam persona moralis externa hoc facere nequit. Ceterum pro associationibus commerciorum et industiarum adsunt fere semper conventiones speciales vel initae a gubernio sinensi vel saltem approbatae ab eo; in his conventionibus omnia circa capacitatem agendi respectivae associationis minutiose determinantur.

IV. OPERA MISSIONARIA

In codice juris canonici solemniter affirmatur: ((Catholica Eccle-

(17) CJCS, p. 395.

sia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina; ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam sortiuntur sive ex ipso juris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum)) (can. 100). At haec praescriptio juris vigorem suum in diversis partibus orbis terrarum et speciatim in terris infidelium vix plene habere potest, obstantibus oppositionibus ex parte potestatis civilis. Ecclesia proinde in concordatis saepe enisa est ut personae morales ecclesiasticae in tuto collocarentur. Si vero concordatum initum non fuerit, tunc Ecclesia ad evitanda mala majora, praescriptionibus civilibus saepe sese submittit.

Missiones catholicae in Sinis adhuc non recognitae sunt uti personae morales juris canonici, sed considerantur esse associationes religiosas peregrinorum, iuridice non differentes ab associationibus commercialibus vel industrialibus exteris. Ideoque missiones in Sinis in consideratione potestatis civilis secumferunt nationalitatem, missionariorum. Aliquid Vicariatus vel Praefectura Apostolica est de illa natione, cujus nationalitatem Vicarius vel Praefectus Apostolicus et magna pars missionariorum ibi residentes habent; ita etiam omnia opera missionaria illius missionis sunt de eadem nationalitate.

De personalitate morali uniuscujusque missionis seu Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae, res omnibus comperta est; quia unaquaequo missio negotia iuridica inire potest cum quacumque altera persona. De personalitate ceterorum operum missionariorum dubium etiam dari non potest post registri publici inscriptionem, quia hoc est unicum requisitum pro constitutione personae moralis exterae in Sinis.

COLLORARIUM

118. Normae pro civibus in Sinis commorantibus Status qui cum Sinis pactum nondum inivit (die 22 Junii 1919).

((Art. 6. Peregrinis nationis quae pacto cum Sinis caret, permittitur commorari in portibus apertis et in aliis locis in quibus commoratio civibus aliarum nationum jam permissa est. In his locis commora-

tionis si peregrinus nationis pacto carentis vult locare domos, debet observare leges locationis loci)).

((Art. 8. Peregrini nationis pacto carentis non possunt in regionibus internis Sinarum locare fundos (bona immobilia), excedptis illis, qui loca interna petunt, propagandae religionis causa et ut domos locent ad contruendas ecclesias, scholas et nosoconia vel alia aedificia caritatis. Attamen missionarii pro locatione debent obtinere permissionem auctoritatis localis sinensis eique porrigere debent documentum scriptum contractus ad revisionem)).

((Art. 9. Peregrini nationis pacto carentis non possunt esse redactores neque editores ephemeridis quotidianae, aliussve generis publicationis periodicae neque possunt partes habere in associationibus politicis)).

((Art. 10. Praeter has normas et alias speciales leges pro iis datas, omnis relate ad peregrinos nationis pacto carentis proceduere debent juxta jus commune))⁽¹⁸⁾.

(18) *Collectio legum et decretorum*. Shanghai 1924, p. 470 sq.

Caput V

De Jure Familiae Missionariorum

In Sinis

Jus familiae in hodiernis codicibus non jam comprehendit totum institutum familiae, sed tantum partem jurium personalium, quae exsurgunt ex relationibus familialibus, relinquit vero partem jurium patrimonialium juri hereditario nec non testamentario. Nos autem, brevitatis causa, considerabimus totum institutum familiae in uno capite sive respectu ad jura personalia sive relate ad jura patrimonialia.

Conditio specialis missionariorum, qui seipsos totaliter servitio divino dedicaverunt, eos nonnullis juribus familiae spoliavit quae cum statu ecclesiastico simul stare non possunt. Studebimus igitur seligere ea familiae jura, quae missionariis adhuc competunt vel eis saltem competere possunt atque ea considerare in relatione ad normam juris sinensis peregrini.

ARTICULUS I. RELATE AD MATRIMONIUM

I. MATRIMONIUM

Familia constituitur per institutum matrimonii et dissolvitur nonnunquam per ejus solutionem. Missionarius in Sinis, exceptis casibus rarissimis pro missionariis ritus orientalis, nullam relationem habet cum matrimonio ad constituendam familiam, sed relationem cum eo habere potest in dissolutione familiae, quia accidere potest ut quis peregrinus, a Deo vocatus, statum clericalem vel religiosum amplecti anhelet et separationem voluntariam de communi consensu obtinere cupiat.

Liquet nos revera omittere praescriptiones de iniendo matrimonio, nisi quod desiderium omnes casus possibiles comprehendendi nos compellit ut aliquid etiam, quamvis summatim, de his praescriptionibus dicamus. In articulis 9 et 10 (NAJ) statuitur: Requisita necessaria pro contrahendo matrimonio sunt secundum jus patriae contrahentium; pro effectibus vero matrimonii standum juri patriae mariti: modus administrandi bona conjugum sequitur jus patriae mariti, tempore matrimonii initi. — Missionarius ritus orientalis, si quis sit in Sinis, matrimonium contrahere volens in territorio Sinarum, consulere debet jus patriae propriae et jus patriae mulieris.

Nostra magis interest de separatione matrimonii tractare.

II. SEPARATIO MATRIMONII

Hic recolenda est praescriptio juris canonici: ((causae matrimoniales inter baptizatos jure proprio et exclusivo ad judicem ecclesiasticum spectant)) (can. 1960). Separatio igitur conjugum declaranda est a tribunali competenti ecclesiastico, quod in casu judicat rem secundum jus canonicum. Relate ad effectus mere civiles judex ecclesiasticus in casu etiam rem cognoscere definireque valet, quia effectus civiles incidenter et accessorie aguntur. Sed quaeri potest, imo debet: Quodnam jus judex ecclesiasticus sequi obligatur in decidendis effectibus civilibus separationis matrimonii? In Normis de applicatione juris explicita praescriptio non datur, potest vero erui ex praescriptione articuli 17, qui statuit relationes familiares praeter casus in praecedentibus octo articulis memoratos relate ad jura et officia esse secundum jus patriae personae causam habentis. Inde effectus civiles separationis matrimonii qui praecipue consistunt in divisione bonorum et sustentatione prolis, a judice ecclesiastico judicantur secundum praescripta juris patriae conjugum. Interim altera quaestio exsurgit: si conjuges sunt de diversa nationalitate consequenterque de diversa patria, judex ecclesiasticus quodnam jus sequi obligatur? Utrum jus patriae mariti est praeferendum an jus patriae coniugis? Jus sinense de hoc silet quia generatim mulier post matrimonium assumit nationali-

tatem mariti; si vero hoc factum non fuit, nobis videtur causa judicari secundum jus quod usque nunc regit relationes matrimoniales illorum conjugum.

Quaestio nondum adhuc est soluta, quia in jure sinensi civili non adest praescriptio de separatione definitiva conjugii. Nunc si effectus civiles aestimari debent secundum jus civile Sinarum, quomodo res procedere debent? Nobis videtur res procedere debere juxta praescriptiones juridicas pro casu analaogo de divortio civili. ((Post divortium mutuo consensu factum, tutela prolis pertinet ad maritum si vero aliter inter se convenerint, servetur conventio)) (Art. 1051.). ((Relate ad tutelam post divortium declaratum a tribunali applicatur praescriptio articuli 1051; tamen tribunal pro utilitate prolis potest iis eligere tutores)) (Art. 1055). ((Tempore divortii uterque conjux, qui antea quaecumque systema administrationis bonorum adhibuerit, recuperat omnia bona propria; si quid deficit de bonis propriis, suppletur a marito, exceptis casibus in quibus defectus non habitus fuerit ex culpa mariti)) (Art. 1058) ⁽¹⁾.

ARTICULUS II. STATUS PROLIS

I. DE LEGITIMITATE

Si accidit, quod puer quidam vel quaedam puella, nati ex parentibus exteris, statum vel clericalem vel religiosum amplecti volunt, inquisitio de eorum legitimitate perficienda est secundum praescriptionem juris canonici, sed haec inquisitio etiam est facienda ad tutelanda jura eorum patrimonialia.

Pro definienda legitimitate prolis jus canonicum proprias praescriptiones statuit, quas observare debet quicumque inquisitionem hujus speciei perficit relate ad effectus juridicos canonicos; relate vero ad effectus civiles respiciendum etiam est ad praescriptiones juris civilis.

(1) CICS, p. 336, 338, 339.

Jus canonicum has praescriptiones statuit: ((legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob solemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti)) (can. 1114). ((Legitimi praesumuntur filii, qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii vel intra decem menses a die dissolutae vitae conjugalis)) (can. 1115). ((per subsequens matrimonium parentum sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis vel nativitatis)) (can. 1117). ((Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega)) (can. 1051).

II. DE EFFECTIBUS CIVILIBUS

Normae de applicatione juris statuunt in articulo 12: ((Status personalis prolis sese habet juxta jus patriae mariti matris tempore nativitatis; si vero filius natus est post mortem mariti matris, status personalis prolis sese habet juxta jus patriae, ad quam maritus matris ultimatim pertinebat)). Ex jure igitur patriae mariti matris decidetur status personalis prolis. Dicitur maritus matris, non vero patris, ad comprehendendam omnem prolem natam durante matrimonio, etiamsi ex secreta et illicita unione matris cum alio viro.

In omnibus fere codicibus civilibus proles illegitimae non aequiparantur ad proles legitimas relate ad jura civilia familiaria, possunt vero evenire aequiparationes, si recognitio juridica prolibus illegitimis a parentibus data fuerit. Recognitio haec juridica civilis relate ad effectus canonicos quidem inefficax semper est, sed relate ad effectus civiles multum conferre potest prolibus. Pro recognitione

juridica jus sinense adhaerens principio communi statuit ita: ((Requisita necessaria pro recognitione prolis illegitimae sunt juxta jus patriae personae recognitionem dantis et personae recipientis. Quoad valorem recognitionis standum iuri patriae personae recognitionem dantis)) (Art. 13 NAJ). Pro juribus igitur patrimonialibus videndum est jus patriae patris vel matris, qui prolem illegitimam recognoverint quia jus patrimoniale pertinet ad effectus vel valorem recognitionis.

Evidens est si proles recognita fuerit a patre vel matre sinensi, tunc jus civile sinense applicatur. Jus civile sinicum in Art. 1065 et 1071 aequiparat prolem recognitam ad prolem legitimam:

((Proles natae extra matrimonium recognitae a patre, considerantur esse natae ex matrimonio; recognitio juridica implicita adest si proles illegitimae alitae fuerint a patre. Proles recognitae relate ad parentes easdem relationes juridicas habent ac filii legitimi et etiam in successione)). Relationes inter parentes et proles recognitas juxta jus sinense plane aequiparantur relationibus filii legitimi!

III. DE ADOPTIONE

Supponitur casus in quo peregrinus, qui statum clericalem vel religioisum amplecti desiderat, est filius adoptatus parentum Sinenis. Ad regulandas relationes exortas ex ista adoptione jus sinense in NAJ statuit sequendum esse jus patriae adoptantis.

Praescriptiones juris civilis sinensis relate ad effectus juridicos adoptionis ita sese habent: ((Relationes inter adoptatum filium et parentes adoptantes eadem habentur sicut inter parentes et proles legitimas, exceptis casibus, in quibus jus aliud statuerit)) (Art. 1077)⁽²⁾. Specialis praescriptio habetur relate ad ius hereditarium; portio enim legitima spectans ad prolem adoptatam aequiparatur medio portionis spectantis ad prolem legitimam (Art. 1142). Quaedam prohibitio statuta est in Primo Concilio Sinensi respectu ad adoptionem, dici-

(2) CJCS, p. 344.

tur enim in Num. 172: ((Nullus sacerdos, Sinensium more, pueros vel puellas in filios vel filias adoptare audeat; nec ullus sive sacerdos, sive seminiarii alumnus, in christiana familia adoptetur vel in filium vel aliquid hujusmodi. Si, quod Deus advertat, talis inveniatur abusus, congruis poenis eradicetur)) ⁽³⁾. Hic agitur de antiquo more adoptionis sinensis, quae vocari potest adoptio perfecta. Filius adoptatus per adoptionem perfectam efficitur filius hereditarius. Cum consuetudo sinensis juxta principia moralia confuciana familiam in suis posteris continuari debere affirmaret, parentes prole carentes filium adoptivum ad continuationem suae familiae assumere tenentur. Continuatio autem et hereditas in more sinico antiquo non constituuntur principaliter ex bonis materialibus, sed ex titulo filii hereditarii jus ad sacrificandum vel potius ad oblationem parentibus defunctis offerendam habet. Heres, qui legitime hanc oblationem offerre potest, est primogenitus uxoris. Si vero uxor non peperirit vel omnes filios natos praematura morte perdiderit, tunc filius gaudens hoc titulo cum jure offerendi oblationem constituendus est juxta normam a jure stabilitam. Ratio prohibitionis habetur clara in dedecore et in inconvenientia, quod aliquis clericus assumitur vel assumit aliquem ad continuationem alicujus familiae. In jure vigenti civili sinensi hoc institutum jam non invenitur.

ARTICULUS III. SUSTENTATIO PARENTUM

I. SUSTENTATIO PARENTUM

Missionarius apostolicus, quamvis relicta patria desertaque familia in longinquas regiones sese contulerit et totum seipsum operibus missionariis mancipaverit, tamen non vero excusatur omnino ab officiis naturalibus quae filiis incumbunt ex naturali jure versus parentes. Sustentatio parentum indigentium ab omnibus doctoribus

(3) PCS, p. 75.

admittitur debita pro clericis et religiosis etiam post professionem religiosam; hic non quaerimus de sustentationis obligatione vel de ejus gravitate; sed tantum affirmamus quod si missionarius vel ex hereditate bonorum vel ex donatione vel ex aliis legitimis titulis bonum proprium possidet et eius parentes in gravi statu versantur, obligatio ei incumbit ex suis bonis parentes indigentes sustentandi.

De modo vero obligationis exsequendae adeundum est jus civile. Jus sinicum in NAJ habet tales praescriptiones: ((Quod ad obligationes sustentationis standum est juri patriae personae obligationem habentis; exceptis casibus, in quibus jus sinense non permittit petitionem juridicam ad obtinendam sustentationem)) (Art. 16). Jus civile sinense limitat jus sustentationis modo sequenti: ((Persona jus ad sustentationem habet, si ipsa non potest procurare necessaria vitae neque capacitatem ad ea procuranda habet. Limitatio paragraphi antecedentis de incapacitate procurandi necessaria vitae non applicatur consanguineis lineae rectae)) (Art. 1117). ((Persona quae propter obligationem sustentationis necessaria vitae propriae providere non potest, dispensatur ab onere sustentandi)) (Art. 1118) ⁽⁴⁾. In his casibus jus ad sustentationem non amplius remanet et consequenter petitio apud tribunal sinense fieri nequit. Etiam postea jus sustentationis peti non potest, si jus hoc vertitur in offensionem bonorum morum sinensium; uti si parentes filium injuste e familia expulerunt...

II. LIMITATIONES JURIS ECCLESIASTICI

Primum Concilium pro bono missionum quasdam praescriptiones edidit relate ad sustentationem parentum, dicens : ((Nullum pecuniarum subsidium de bonis missionis proprie dictis, Sacerdotes etiam cognatis proximis pauperibus suppeditabunt, salvis peculiaribus ordinationibus. Nihil tamen vetat quominus iidem Sacerdotes de bonis personalibus disponere pro suo lubito possint)) (Nm. 130) ⁽⁵⁾.

(4) CJCS, p. 356.

(5) PCS, p. 221.

In praescriptione hac sermo est de bonis missionis proprie dictis; sed quid intelligitur termino ((bonum missionis proprie dictum))? Inter decreta hujus concilii non datur expressa explicatio. Nostrum igitur est inquirere de sensu hujus termini. Sunt bona missionis latissimo sensu en omnia quae a Concilio bona ecclesiastica vocantur: (Reputanda sunt bona ecclesiastica non solum bona missionis et ecclesiarum omnium christianitatum, sed etiam bona ad religiosas familias spectantia, et omnia bona ad pias causas dicata: v.g. elemosinae alicui sacello a fidelibus erogatae. Bona fabricarum et alia quasi-paroecialia missionum, quamvis ad singulas christianitates vel stationes pertineant, sunt vere ecclesiastica et etiam canonicis legibus reguntur) (Num. 531) ⁽⁶⁾.

Primum Concilium distinguit bona ecclesiastica in bona missionis et bona religionis; illa pertinent ad missiones, hae pertinent ad familias religiosas. Idcirco cum Concilium loquatur de bono proprie dicto, id intelligi censetur de bonis missionis cum exclusione bonorum religionis. Bona missionis proprie dicta sunt igitur: ((1) Ecclesiae, residentiae missionariorum, scholae, aliaque aedificia sumptibus missionis aedificata: 2) Quaecumque aliae res, sive mobiles sive immobiles, sive sacrae sive profanae, sumptibus missionis acquisitae; 3) Pecuniae et aliae donationes, quae missioni in genere vel speciali ejus operi traduntur; 4) Quidquid a christianis indigenis tribuitur pro ornamento vel cultu ecclesiae, similiter fundi cum redditibus pro sustentatione missionarii proprii destinatis: 5) Bona quae sive Ordines sive Congregationes religiosae acquirunt, non quidem pro religione, sed pro Missione)) (Num. 534) ⁽⁷⁾. Ex istis omnibus bonis sacerdos prohibetur aliquid sumere pro cagnatis pauperibus. De bonis vero religionis res decidenda est secundum proprias constitutiones.

Adest alia species bonorum, quae censetur non includi inter bona missionis proprie dicta, scilicet bona parsimonialia sacerdotis. In Primo Concilio Sinensi praxis illa confirmatur, secundum quam: ((Si

(6) PCS, p. 222.

(7) PCS, p. 222-223.

e clero saeculari, sive europaeus, sive Sinensis, ex pacto cum Vicario vel Praefector Apostolico inito, facit fructus suos, Ordinarius non tenetur ex iustitia ei necessaria suppetitare aegrotanti vel senescenti, aliquando vero teneri potest ex caritate; si, e contrario, sacerdos non facit fructus suos, sed ab Ordinario de necessariis provisus est, Ordinarius debet eum sustentare adventante aegritudine vel senectute)) (Num. 130) ⁽⁸⁾. Sacerdos, qui ex operibus suis non facit fructus suos, sustentationem ab Ordinario recipit; bona, quae ab Ordinario concessa sunt ei pro annua sustentatione, sunt quidem bona missionis sed pertinent jam ad illum sacerdotem; si ipse parce vivendo, sibi conservat aliquam partem ex istis bonis, pars conservata censetur esse bonum parsimoniale de quo sacerdos libere disponere valet et propterea istis bonis ipse potest et debet procurare sustentationem parentum indigentium.

ARTICULUS IV. DE TUTELA ET CURA

I. OFFICIUM TUTELAE ET CURAE

Officium tutelae et curae, quod gestionem bonorum rationemque reddendam secumfert, nuncupatur certo officium saeculare, clericis religionisque personis minus conveniens et prohibitum praescriptione juris canonici; inde missionarius ad assumendum hoc officium indiget licentia Ordinarii sui (can. 139).

Quando autem necessitas urget, per licentiam Ordinarii prohibitio canonica tollitur; nam accidere potest ut quis missionarius habens cognatum minorem orbatum parentibus, tutelam vel curam ejus suscipere cogatur. Data liceitate et aliquando obligatione suscipiendi officium tutelae et curae, iam quaeritur de jure quod regit exercitium hujus speciei officii. Si inspicimus praescriptiones juris sinensis, invenimus statutas in Normis de applicatione juris: ((Tutela regulatur secundum jus patriae pupilli; sed peregrinus, qui domicilium vel quasi-

(8) PCS, p. 64.

domicilium in Sinis habet, in uno ex casibus infra enumerandis, observare debet jus sinense relate ad tutelam: 1) Secundum jus patriae adest causa tutelam instituendi, sed non adest persona tutelam exsequens; 2) In Sinis declaratus est interdictus ad administrationem bonorum)) (Art. 18 NAJ). Et in articulo sequenti statuitur ut praescriptio de tutela applicetur etiam pro officio curae. Jus patriae igitur pupilli in casu attendendum est pro exercitio tutelae et curae. Jus sinense civile suum vigorem valere facit, si unus ex duobus casibus contemplatis a jure occurrit; adest quidem alius casus applicandi jus sinense, scilicet quando pupillus natus ex parentibus exteris in Sinis commorantibus secundum jus patriae parentum ipso facto nativitatis recepit nationalitatem sinensem, licet jus sinense eum non recognoscat civem sinensem.

Suadetur quidem ut missionarius ad tutelam vel curam suorum cognatorum aliquam personam fide dignam pro seipso substituat nempe eligendo eam personam eamque tribunali praesentando.

II. JUS SINENSE

In codice juris civilis sinici tractatur de tutela et cura in articulis 1091-1113. Tutor vel curator juridice agit pro pupillo suo, complet ejus voluntatem et administrat ejus bona. De bonis pupilli ipse disponere nequit nisi pro emolumento pupilli, neque de bonis immobilibus ejus disponere valet, nisi prius rogaverit consensum Consilii familiae; singulis annis rationem administrationis reddere debet et in fine sui officii totam rationem administrationis delegato Concilii familiae reddat. In defectu vero Concilii familiae, sicut accidere solet in casu tutelae vel curae exercendae a missionario, ratio videtur reddenda esse tribunali competenti, quod est tribunal sinese.

ARTICULUS V. SUCCESSIO HEREDITARIA

I. SUCCESSIO HEREDITARIA

Casus, qui missionariis frequentius occurrere potest, est succes-

sio hereditaria. Missionarius si est clericus saecularis, capacitatem recipiendi hereditatem, servatis servandis de jure, semper retinet, si est religiosus, cum votis simplicibus, capacitatem hereditatem capiendi sibi conservat; si est cum votis solemnibus, potest eam acquirere vel suo Ordini vel Sanctae Sedi (can. 580-582).

Praescriptio autem juris canonici relate ad capacitatem hereditatem recipiendi non aliud statuit nisi purum principium, quod affirmat religiosos post professionem religiosam non penitus amittere suum jus civile ad hereditariam successionem; sed quando una persona habeat hoc jus et quomodo exercere debeat hoc jus, de hoc codex juris canonici nihil statuit, quia res pertinet ad potestatem civilem; propterea addere debemus praescripta civilia in respectu ad successionem hereditariam missionariorum. Jus sinense in Normis de applicatione juris rem disponit ita: ((Successio hereditaria procedit secundum just patriae eius cui succeditur)) (Art. 20 NAJ). Jus igitur ad successionem, ordo ad hereditatem et quantitas hereditariorum bonorum regulantur secundum praescripta juris personae defunctae cujus hereditas est in quaestione.

Hic non agitur tantummodo de hereditate ad quam missionarius vocari potest, sed etiam de hereditate ipsius missionarii, qui post suam mortem alicui relinquere debebit sua propria bona, si qua sunt.

II. CAPACITAS AD SUCCESSIONEM HEREDITARIAM IN SINIS

132. Quaeritur: utrum missionarius potest vocari ad hereditatem alicujus civis sinensis an non? Prohibitio generalis non invenitur neque in jure canonico neque in jure sinico; inde missionarius potest esse vocatus ab aliquo cive sinensi per testamentum vel ad totam hereditatem vel ad partem vel ad legatum. Prohibitio autem habetur in jure sinico relate ad bona immobilia, quia missionarius uti persona civilis, nomine proprio possidere nequit bona immobilia in regionibus internis Sinarum. Ideoque in casu successionis quoad bona mobilia civis sinensis nulla datur difficultas, quoad vero bona immobilia, ea vendere debet. Potest fortasse effici nobis objectio: missionarius prohibitus est imo incapax

aestimatur a jure sinensi ad possidenda bona immobilia in Sinis, ergo missionarius ad haec recipienda, quamvis per testamentum, etiam prohibitus est. Sed ad rigorem juris haec objectio plane non sustinetur, quia jus prohibet tantum quominus missionarius in internis regionibus emat vel locet bona immobilia, sed non prohibet quominus bona immobilia dono recepta vendat.

Missiones catholicae, quibus jus possidendi bona immobilia titulo proprietatis competit, certo possunt etiam jure civili accedere ad successionem hereditariam civium sinensium. Cum vero secundum jus peregrinum hereditaria successio exequenda sit secundum jus personae defunctae et in casu successionis circa civem sinensem jus sinicum sit applicandum, inspiciamus aliquantulum praescriptiones juris civilis sinici relate ad hoc institutum in Art. 1138-1185. Codex juris civilis sinici per duo capita contemplatur totum jus hereditarium; in priore capitulo contemplatur personam heredis, in posteriore successionem proprie dictam. Si missionarius quidam vel missio quaedam vocati fuerint ad successionem hereditariam alicujus civis sinensis, imprimis attendendum est ad hanc praescriptionem: ((Persona, quae non habet consanguineum lineae rectae descenditis, potest per testamentum determinare heredem vel ad totam hereditatem vel ad partem, salvis praescriptionibus de portionibus legitimis spectantibus ad ceteros consanguineos)), ne eius successio invalida evadat (Art. 1143) ⁽⁹⁾.

A momento mortis testatoris successio valida sortitur immediate suum initium, tunc attendendum est ad praescriptionem de hereditate numerata, ne heres succumbat sub debitis personae defunctae; ad praescriptionem de divisione hereditatis, si plures heredes adsunt; ad praescriptionem de renuntiatione, si convenientia adest, et attendendum est ad praescriptionem de ipso actu successionis. Neque negligi potest praescriptio quae praecipit ut bona ex hereditate recepta juxta arbitrium Consilii familiae dentur illis personis, quae recipiebant sustentationem ab ipsa persona defuncta (Art. 1149).

(9) CJCS, p. 362.

ARTICULUS VI. DE TESTAMENTO

I. TESTAMENTUM

Negotium juridicum, quod sacrum ac inviolabile ab omnibus populis consideratur, est testamentum, quo defunctus ultimam suam voluntatem manifestat. Missionarius, qui est Episcopus residentialis vel beneficiarius, obligatur testamentum de suis bonis tempestive condere cum observantia juris civilis respectivae nationis (can. 1301); qui est de Congregatione religiosa. vel de Ordine regulari, ante professionem votorum simplicium temporariorum testamentum de suis bonis praesentibus vel forte obventuris libere condere tenetur (can. 569, parag. 3).

Cum in his testamentis agatur de rebus mere civilibus, jus civile respectivae nationis observari debet a testatoribus ecclesiasticis. Haec observantia a jure canonico etiam inculcatur pro testamento in favorem Ecclesiae, dicit enim: ((In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae servantur, si fieri possit, solemnitates juris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant)) (can. 1513). ((S.R.E. Cardinalis, Episcopus residentialis aliiq[ue] clerici beneficiarii obligatione tenentur curandi testamento vel alio instrumento in forma juris civilis valido ut omnia praescripta, de quibus in can. 1298-1300, debitum effectum etiam in foro civili sortiantur)) (can. 1301).

Praescripta juridica relate ad testamentum apte in duas partes dividi possunt quarum una respicit constitutionem intrinsecam testamenti, scilicet requisita necessaria et effectus, altera pars respicit extrinsecam formam, scilicet solemnitatem.

De constitutione intrinseca testamenti peregrinorum in Sinis haec habetur praescriptio: ((Requisita necessaria pro conficiendo testamento ejusque effectus consideranda sunt ad normam juris patriae testatoris tempore quo conficietur testamentum Revocatio testamenti regulatur jure patriae testatoris tempore quo conficietur revocatio)) (Art. 21 NAJ). Missionarius igitur in Sinis testamentum conficere

volens, prae oculis habere debet praescripta juris suae patriae de testamento, et tribuual ecclesiasticum causam de testamento missionarii judians jus patria testatoris negligere nequaquam potest. Capacitas testandi, portiones legitimate hereditatis, legata et executores sunt aestimandi secundum jus patriae testatoris.

II. JUS SINENSE

((Art. 1180: Persona incapax agendi non potest testamentum contionem cum testamento missionariorum non habet; habet vero relationem cum testamento civium sinensium qui hereditatem per testamentum missionario vel missioni catholicae reliquerunt, quia tunc testamentum regitur jure civili sinensi.

((Art. 1186: Persona incapax agendi non potest testamentum conficere. Persona deminutam capacitatem habens, sine permissione procuratoris legalis potest conficere testamentum; sed si decimum sextum annum nativitatis nondum attigerit, non potest conficere testamentum))⁽¹⁰⁾. Haec autem praescriptio valet quidem, si testamentum confectum fuerit in favorem alicujus missionarii uti personae privatae; non vero valet, si testamentum a minorenni quodam Sinensi factum fuerit in favorem Ecclesiae, quia tunc vigere incipit praescriptio juris canonici: ((Qui ex jure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, bona relinquere)) (Can. 1513).

Civis Sinensis, qui consanguineum descendantem lineae rectae habet, alium heredem per testamentum prohibetur constituere, et, qui orbatus est istis consanguineis, heredem per testamentum libere constituere potest, salvo semper portionibus legitimis. Attamen altera dispositio juris facultatem testatori concedit ut ipse, attentis servatis praescriptionibus de portionibus legitimis, libere disponere de bonis suis valeat (Art. 1187). Portiones a jure sancitae et determinatae spectant ad personas, quae ad normam juris sunt heredes legitimi

(10) CJCS, p. 378.

(Art. 1223); neque hae portiones possunt negligi vel defraudari per testamentum (Art. 1225 CJCS).

III. FORMA TESTAMENTI

Relate ad constitutionem extrinsecam testamenti, scilicet ad formam, jus peregrinum sinense facultatem dat missionariis, ut ipsi sequi queant vel jus patriae vel jus sinense civile (Art. 26 NAJ), quia admittitur a jure sinico peregrino duplex forma testamenti, scilicet vel forma praescripta a jure quod regit constitutionem intrinsecam testamenti vel forma praescripta a jure loci actus.

Quinque formae conficiendi testamentum in jure sinico civili proponuntur validae, inter quas testator, servatis servandis, eligere quamcunque valet (Art. 1189 CJCS) ⁽¹¹⁾. Prima forma est testamentum holographum manu, quod conscriptum est a testatore ipso et ab ipso subscriptum cum omnibus adnotationibus necessariis (Art. 1190 CJCS). Secunda forma est testamentum factum a teste qualificato (notario publico); hoc testamentum a teste qualificato scriptum est coram duobus testibus sub dictato testatoris et ab omnibus his personis subscriptum (Art. 1191 CJCS). Tertia forma est testamentum secrete conclusum, quod ab ipso testatore clausum et subsignatum est super clausuram coram teste qualificato et duobus aliis testibus (Art. 1192 CJCS). Quarta forma est testamentum alterius manuscriptum; hoc testamentum est conscriptum ab uno ex tribus testibus sub dictato testatoris, et ab his omnibus personis subscriptum (Art. 1194 CJCS). Quinta forma est testamentum orale; hoc testamentum conscriptum est ab uno ex duobus testibus juxta dictatum testatoris, in periculo mortis vel in aliis circumstantiis extraordinariis (Art. 1195 CJCS).

Missionarius in Sinis sub circumstantiis ordinariis testamentum facere potest secundum unam ex supradictis formis prioribus; in casibus vero specialibus cum periculo mortis testamentum orale conficere

(11) CJCS, p. 379.

valet. Si vero missionarius testamentum suum conscribere vult juxta formam juris suae patriae, liber est ad hoc faciendum; tantummodo meminerit unusquisque missionarius testamentum sine debita forma conscriptum invalidum esse ad manifestandam suam ultimam voluntatem.

Iuridica solemnitas testamenti non regit executionem ejus et consequenter non regit executores testamenti. Executores cives sinenes, attendere tenentur pro suo officio ad jus quod regit constitutionem intrinsecam testamenti illius missionarii testatoris.

Caput VI

Jus Reale

ARTICULUS I. PRINCIPIUM GENERALE

I. PRINCIPIUM GENERALE

Jura realia sunt illa quae directa versantur in res et ad quae prosequenda actio promoveri potest contra quampiam personam. Multiplices sunt actus juridici, qui spectant ad res, uti acquisitio, mutatio et extinctio jurium realium; ad regendos hos actus, qui perficiuntur a peregrinis in Sinis, norma juridica sancitur ita: ((Relate ad jura realia, observatur jus loci rei sitae ... Acquisitio ac perditio juris realis, exceptis navibus, habentur secundum jus loci, in quo res sistit tempore quo factum juridicum mutationem juris produciens perficitur ...)) (Art. 22 NAJ).

Jus loci rei sitae a jure sinensi recipitur ut norma juridica pro juribus realibus peregrinorum in Sinis. Ultima pars articuli supra citati addita est ad devitandum dubium, quod exsurgere potest, si jus loci rei sitae post factum juridicum subierit mutationem. In hoc casu jus quod regit jura realia, secundum jus sinense peregrinum est jus loci rei sitae tempore quo factum juridicum mutationem juris produciens perficitur, scilicet est jus quod vigeat in loco rei sitae quando factum juridicum produciens vel mutans jura realia perficiebatur.

137. Sed quaestio multum agitata apud auctores et juristas a jure sinensi peregrino in silentio praetermissa esse videtur; nam in Normis de applicatione juris simpliciter dicitur de juribus realibus nec sermo fit de distinctione bonorum mobilium et immobilium. Quaestio vero praecise agitur utrum jus loci rei sitae applicetur tantum rebus immobilibus an etiam rebus mobilibus? Jus sinense videtur voluisse nescire hanc distinctionem et applicat principium juris loci rei sitae tam rebus mobilibus quam rebus immobilibus. Et nos adprobamus hunc modum

procedendi; nam distinctio rerum mobilium et rerum immobilium per se jam est incerta et differens in diversorum Statuum codicibus et postea non adest communis consensus de jure quod res omnes mobiles regere debet. Objectio deducta ex facili mutatione rerum mobilium de loco in locum momentum quidem habet in praxi, sed respectu ad difficultates exoritur ex incerta distinctione rerum mobilium et immobilium vim suam persuasivam perdere debet. Missionarii igitur, si bona possident in Sinis, circa ista bona observare tenentur praescripta juris sinensis civilis; si vero bona possident extra Sinas, pro gestione ac exercitio horum bonorum observent jus loci in quo bona inveniuntur.

II. JURA REALIA

Licet tractatus completus de juribus realibus missionariorum in Sinis exeat de sphaera nostri studii nec spatium temporis nos hoc facere sinat, tamen quaestiones principaliores a nobis penitus negligi non possunt. Exponemus itaque jura missionariorum in Sinis summa per capita.

1. Proprietas

Summa necessitas urget ut habeatur clara distinctio circa hanc materiam, sin minus magna confusio intelligentiam nostram pervadet. Distinguitur missionarius, utpote persona privata civilis, a missionibus catholicis; distinguitur territorium Concessionis a ceteris territoriis Sinarum; distinguitur tandem bonum mobile a bonis immobilibus. Post has distinctiones proceamus ad rem et statuamus normam juridicam circa proprietatem missionariorum in Sinis: 1) missionarius, utpote persona civilis privata, extra territorium Concessionis, non potest sibi tribuere jus proprietatis bonorum immobilium, quae existunt in Sinis; 2) missionarius, utpote persona civilis privata, habet proprietatem bonorum mobilium in Sinis; 3) missionarius proprietatem bonorum, quae sunt extra territorium sinense, sibi tribuere potest sicut jus loci rei situae statuit; 4) Missiones catholicae jus proprietatis sibi retinent vel circa bona immobilia vel circa bona

mobilia juxta regulas supra dictas, quando agebamus de juribus missionum in Sinis.

Aliquid igitur nobis incumbit dicere de jure proprietatis bonorum mobilium secundum jus sinense civile quod in articulis 761, 901-816 agit de origine, mutatione, extinctione et defensione hujus proprietatis.

Jus proprietatis in rem mobilem modo ordinario acquiritur per traditionem rei; jus sinense cavet, ut traditio rei mobilis a persona jure tradendi carenti facta defenditur a jure et persona rem traditam possidens tutelam juris habeat (Art. 801). Possessio rei nullius illico jus proprietatis confert domino, si ipse animum possidendi habet (Art. 802). Inventio rei derelictae secundum normam juris post sex menses, dominio non comparente, facit rem pertinere ad inventorem (Art. 803-807); thesaurus inventus et apprehensus pertinet ad inventorem; thesaurus vero inventus intra bona immobilia aliena dividitur inventorem inter et dominum rei immobilis (Art. 810). Res mobilis per accessionem ad rem immobilem accedit etiam ad proprietatem domini rei immobilis (Art. 811). Res mobiles, si per mixtionem difficulter vel plane non separabiles factae sunt, habendae sunt in condominio (Art. 812-813); transformatio facit opus transire in proprietatem domini rei; si vero opus pretiosius est quam res, res transit in proprietatem personae transformantis (Art. 814) cf. CJCS. 263-268.

2. Possessio

Cum missionarius in Sinis proprietatem bonorum immobilium existentium in territorio sinensi habere non valeat, licet nobis quaerere an ipse ut homo privatus bona immobilia existentia in Sinis possidere possit. Nobis videtur affirmative esse respondendum. Nam expressa prohibitio circa exercitium hujus juris legibus sinensibus non invenitur et possessio temporanea non contradicit spiritui legis Sinarum. Practice haud difficile accidit ut civis quidam sinensis bona immobilia missionario tradat ad extinguendum suum debitum; in casu

missionarius quidem non habet nec potest habere animum ea bona titulo proprietatis sibi retinendi, quia ipse ea bona vendere tenetur: sed interim ante venditionem ipse possidet ea bona immobilia.

Si quaestio agitur de bono mobili, tunc missionarius tuto procedere potest ad ineundam possessionem juxta praescripta juris sinensis (Art. 940-966).

Possessor vocatur ille qui potestatem realem disponendi de aliqua re hic et nunc habet; ille gaudet praesumptione juris de bona voluntate vel de bona fide possessionis, gaudet insuper tutela juris relate ad rem possessam mobilem, licet traditor jus rem tradendi non habuerit. Si res possessa est res derelicta vel furto accepta, restitui debet illa res domino intra duos annos rem possidenti cum restitutione pretii, si possessor rem acquisiverit per emptionem. Possessor bona fide in rem possessam habet usum et usumfructum, non respondet de interitu rei, nisi de emolumento ex perditione accepto, si res perdita fuerit sine ejus culpa; in restitutione jus habet postulandi expensa utilia. Possessor autem malae fidei tenetur ad restitutionem rei, si res perdita fuerit ex causa ei imputabili; tenetur ad restitutionem fructuum vel ad eorum valorem restituendum, si fructus consumpti fuerint vel per ejus culpam peiores evaserint vel colligi culpabiliter neglecti fuerint. Possessio defenditur ante omnia per proprias vires, postea per actionem possessorem (antra annum) ad eam recuperandam, ad tollendo obstacula et ad impedienda pericula.

3. Usus et usus fructus

Usus et usus fructus sunt instituta juridica distincta a proprietate; inde missionarius in Sinis vivens qui prohibitus est possidere bona immobilia titulo proprietatis in territorio sinensi, non vetatur percipere usum et usum fructum bonorum immobilium. Haec jura missionariis pervenire possunt vel per actus inter vivos vel per actus mortis causa ideoque regulantur secundum jus quod regit actum constitutum.

4. Praescriptio

Praescriptio haberi potest vel circa quoddam jus vel circa quandam rem; si jus vel res sistunt in Sinis, earum praescriptio regitur jure civili sinensi. In articulis 125-147 CJCS tractatur de praescriptione liberativa et in articulis 768-772 CJCS de praescriptione acquisitiva. Tempus sufficiens ad liberandam quandam personam ab obligatione statuitur esse quindecim annos continuos, nisi jus in aliquibus casibus tempus brevius statuerit; brevius tempus pro praescriptione liberativa statuitur in articulis 126 et 127, in quo affirmatur unum annum vel duos sufficere ad praescriptionem perficiendam contra certas species obligationum. Praescriptio acquisitiva pro rebus mobilibus requirit possessionem pacificam quinque annorum; pro rebus vero immobilibus exigit viginti annorum pacificam possessionem; sed si possessio incepta fuerit cum bona fide, tunc sufficiunt decem anni.

Hic opportune recolamus statutum juris canonici de praescriptione: ((Praescriptionem, tanquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur)) (can. 1508). Codex juris canonici hic agit de bonis ecclesiasticis et recipit jus civile; inde de bonis missionum in Sinis exstantibus applicatur jus civile sinicum. Quod ad quaestionem utrum jus canonicum agat de receptione juris civilis substantivi an etiam de jure peregrino normativo, videbimus, quando agemus de obligatione. Sufficit nunc notare quod pro praescriptione bonorum missionum quae in Sinis sunt, res procedere semper debet secundum jus civile sinense, quia si jus canonicum recipit jus civile substantivum, tunc clarum est jus civile sinicum esse applicandum; si vero jus canonicum recipit jus normativum peregrinum sinense, tunc etiam applicatur jus civile sinicum, quia hoc est jus loci rei sitae.

ARTICULUS II. DE CESSIONE ADMINISTRATIONIS, REUNTIATIONE BONORUM ET DOTIBUS IN JURE RELIGIOSORUM

Nonnulla praescripta de juribus realibus habentur in codice juris

canonici relate ad religiosos et in his casibus religiosi praecipiuntur habere prae oculis praescripta juris civilis respectivae Civitatis. Si nunc missionarius de clero saeculari in domum religiosam in Sinis existentem intrare vult ut consulat saluti animae suae, vel peregrinus juvenis vitam religiosam in Sinis amplecti desiderat, pro omnibus actibus, ad quos obligantur juxta praescripta juris canonici relate ad certa jura realia, normam juridicam sumere debent ex jure peregrino sinensi. Videamus igitur quid nos docet jus sinense scilicet jus peregrinum, respectu ad hos actus.

I. CESSIO ADMINISTRATIONIS BONORUM

In codice juris canonici: ((Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, honorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere)) (can. 569).

Agitur de cessione administrationis bonorum et propterea est actus juridicus civilis, qui confici debet a persona professionem votorum simplicium emissura secundum jus loci rei sitae. Difficultas non nascitur quando bona omnia sunt in uno eodemque loco; molestiae vero et difficultates exsurgunt quando bona sistunt in territoriis diversorum Statuum, qui singuli differentem codicem juris civilis possident. In hoc casu cessio videtur melius et securius perfici, si separatim et juxta jus loci rei sitae conficitur pro unoquoque complexo bonorum, quae in unius Status territorio exsistunt.

Inter diversa requisita essentialia pro cessione facienda, primum est capacitas agendi; generatim filius minor sibi attribuere nequit capacitaem cessionem faciendi, quia ipse utpote minor capacitatem agendi non habet et bonorum administratio penes parentes vel tutores est juxta praescripta legis. Ad claram intelligentiam praescriptionis juris canonici aliquid notamus. Quaeri potest: Utrum jus canonicum in citato canone considerat tantummodo novitium majorem, qui administrationem bonorum per seipsum exercebat et nunc eam cedere

alicui valet, an etiam loquitur de novitio minorenni? Attento sensu litterali verbi ((cedere)) videtur jus loqui tantummodo de novitio majorenni, qui administrationem iam habebat et tenebat, quia verbum ((cedere)) significat aliquam personam tradere officium alicui, quod ipsa antea tenebat. Insuper spiritus legis hanc interpretationem suadet, nam lex cessionem administrationis bonorum statuit, quominus novitius vel melius religiosus administrando suorum bonorum spiritum suum distrahat a rebus spiritualibus et ab exercitiis pietatis; nunc vero quando administratio per se jam non erat penes ipsum novitium, sed penes ejus parentes vel tutorem legalem, motivum cessionis non urget. Attamen nobis videtur nihilominus cessio esse facienda etiam a novitio minorenni; non quasi jus canonicum in casu suppleat incapacitatem minoris, derogando praescripto juris civilis, sed quia cessio facta tempore minorennitatis postea potest ratihaberi ab ipso religioso, ineunte aetate majorenni, vel per actum explicitum vel per actum implicitum. Cessio igitur incipiet valere a die, in quo religiosus aetatem majorem adeptus est ⁽¹⁾. Ita dicendum est de usu et usufructu, quia jus canonicum non intendit privare parentem, qui juxta jus civile jus habet ad usum et usufructum bonorum filiorum minorum, hac facultate.

Quando cessio administrationis bonorum facienda est secundum jus civile sinense, res procedere videtur secundum praescripta juris de mandato, quia jus civile sinicum explicita et distincta praescripta relate ad cessionem istam non statuit.

Mandatum a jure sinico vocatur contractus quo partes conveniunt ut una pars alteram partem ad gerendam aliquam rem deleget, atque altera pars hanc gestionem promittit (Art. 528 CJCS). Si ad constituendum mandatum actus juridicus requiritur, mandatum in scriptis fleri debet (Art. 531 CJCS). Mandans sine consensu mandatarii jus petendi gestionem rerum (negotiorum) tertiae personae cedere non potest (Art. 543 CJCS). Mandatum extinguitur per revocationem et per renuntia-

(1) Cfr. TIMOTHEUS SCHAFER, *De Religiosis*. Roma 1940, p. 607.

tionem, quae fieri possunt quolibet momento, et per mortem et per deminutionem capitis unius partis, nisi contractus praehabitus vel natura rei aliud postulet (Art. 549-550) ⁽²⁾.

II. RENUNTIATIO BONORUM

((Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem solemnem, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis, quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis, renunciare. Secuta professione, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam jure civili effectum consequatur)) (can. 581).

Jus civile, de quo hic in canone agitur, pro religiosis peregrinis in Sinis, est jus loci rei sitae, quia jus peregrinum sinense ita statuit. Hic non agitur de renuntiatione capacitatis juridicae, quae de cetero secundum jus sinense civile fieri non potest (Art. 16 CJCS); sed agitur de cessione bonorum praesentium et futurorum in favorem tertiae personae.

Praescripta relate ad hos actus renuntiationis in jure civili sinensi inveniuntur in praescriptis de cessione bonorum et de donatiine. Donatio valorem suum non sortitur juxta normam juris nisi donatarius consensum praestiterit; si vero agitur de bonis pro quorum transmissione exigitur inscriptio in registrum publicum, tum res immutata manet usquedum inscriptio debita evenerit (Art. 406-407 CJCS). Si donum datum fuerit insimul cum aliquo onere, donatarins autem onus exequendum neglexerit, donator potest vel petere executionem oneris vel revocare donum datum (Art. 412) ⁽³⁾.

III. DOS RELIGIOSARUM

((In monasteriis monialium postulans afferat dotem in constitu-

(2) Cfr. CJCS, p. 173-180.

(3) Cfr. CJCS, p. 131-135.

tionibus statutam aut consuetudine legitima determinatam. Haec dos ante susceptionem habitus monasterio tradatur aut saltem ejus traditio tuta reddatur forma jure civili valida)) (can. 547).

Si postulans est de natione externa in Sinis, jus civile pro valida et tuta traditione dotis intelligitur jus loci rei sitae, ex qua does constituitur. Si traditio dotis tantum promittitur, tunc intervenit contractus; jus vero civile, quod regit contractum peregrinorum, videbitur a nobis in capite sequenti.

ARTICULUS III. JURA REALIA MISSIONUM CATHOLICARUM IN SINIS

I. JUS PROPRIUM

Primum Concilium Sinense melius facere non potuit relate ad jura realia missionum catholicarum in Sinis quam repetere id quod affirmatum est in codice juris canonici: ((Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus, quae ab ecclesiastica auctoritate in juridicam personam erectae sunt, jus est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi)) (can. 1458 et num. 530 PCS). Jus hoc est proprium Ecclesiae Catholicae et independens a qualibet auctoritate civili. Indeque codex juris canonici statuit: ((Ecclesia acquirere temporalia bona potest omnibus justis modis juris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet)) (can. 1499). Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae aliaque instituta ecclesiastica missionum sunt personae morales independentes a recognitione juris civilis post decretum a competenti auctoritate ecclesiastica datum, et consequenter sibi jus vindicare debent ad bona temporalia. Itaque Patres Primi Concilii Sinensis solemniter affirmaverunt: ((Item Ordinarius ex redditibus ecclesiarum et voluntariis fidelium oblationibus, curet de aliquo fundo constituendo pro sustentatione cleri in posterum)) (Num. 548). ((Obligantur christiani pro viribus concurrere aedificationi, conservationi, reparationi, ornatui, cultui proprii sacelli seu ecclesiae ac residentiae et domus sacerdotis, necnon

ejusdem honestae sustentationi; quae obligatio neque tollenda, neque oblivione delenda est)) (Num. 549). ((Curent missionarii et fideles, in singulis christianitatibus, e foundationibus paulatim instituant fundos et redditus pro divino cultu, puerorum scholis, aliisque expensis praesertim tempore missionum fieri solitis ...)) (Num. 550) ⁽⁴⁾.

In his praescriptionibus Patres Primi Concilii plane statuunt jus ecclesiae relate ad jura realia etiam esse exercendum in terris infidelium; modus vero exercendi in supracitatis numeris decretorum adhaeret stricte consuetudini ecclesiasticae; sed praeter hos modos missiones catholicae in Sinis jura realia exercere possunt omnibus legitimis modis, qui permissi sunt a jure civili sinensi omnibus civibus sinensibus.

II. MODUS AGENDI

At jus Ecclesiae proprium ad bona temporalia non semper plene recognoscitur a potestate civili, imo saepe saepius obstacula ab ipsa civili auctoritate recipere cogitur. Ita etiam evenit in Sinis; cum gubernium sinense missiones catholicas consideret esse associationes religionsas peregrinorum, exceptis Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis commissis curae cleri indigenae, jura realia missionum plures limitationes restrictionesque receperunt, uti jam supra vidimus. Cum vero praesto non sit Ecclesiae remedium efficax ad mutandam hanc conditionem, missiones catholicae in Sinis conantur saltem jus suum tutum reddere intra limites civiliter positos.

Modus agendi pro juribus realibus adhuc adhaeret pactis Sinas inter et alias Civitates initis, saltem pro missionibus, quae juxta judicium gubernii sinensis pertinent ad illas nationes contrahentes. Jus proprietatis et consequenter jus emendi bona immobilia missionibus competit illarum nationum, quae, cessatis pactis veteribus abolitis,

(4) PCS, p. 230.

novas conventiones cum Sinis praeparant; verò ceterarum nationum jus emphyteusis tantum competit missionibus. Neom est qui non videat quanta detrimenta missiones catholicae pati cogantur in Sinis ex istis limitationibus et praesertim ex restrictione quoad quantitatem superficiei et dormorum. Praeter limitationem quoad jus proprietatis missiones in Sinis cetera jura realia habent et sibi retinent plena.

ARTICULUS IV. DE ADMINISTRATIONE BONORUM

I. ADMINISTRATIO IN GENERE

Mos est relinquere administrationem bonorum privatae voluntati vel constitutionibus propriis personae moralis, et potestas legifera Status non intervenit, nisi in statuendis principiis generalibus. Quanto vero ratio specialis exigit, ut pro administratione alicujus speciei bonorum, particulares normae a publica auctoritate dentur, tales normae datae observari debent ab omnibus administratoribus, etiamsi sint peregrini. Inde bona administranda sunt ad normam juris loci rei sitae. Pro applicatione hujus principii ad bona missionariorum, utpote personarum civilium privatarum, nulla debet nasci difficultas; practice in jure sinensi non dantur normae speciales pro administratione bonorum, nisi pro bonis personae moralis.

II. ADMINISTRATIO BONORUM MISSIONUM CATHOLICARUM

Difficultas enascitur, cum gubernium sinense consideret bona missionum esse bona personae moralis exterae et persona moralis externa in exercitio suorum jurium comparetur personae moralis sinensi, quae eandem naturam ac persona moralis externa habeat. Propterea gubernium ordinavit ut bona missionum administrentur uti bona templorum Budhistarum vel Taoistarum; nam gubernium sinense die 13 Martii an. 1917 decretum promulgavit ut administratio bonorum

omnium religionum in Sinis fiat secundum normas ab ipso datas pro administratione templorum et fundorum Bhudstarum⁽⁵⁾. Haec ordinatio postea, impliciter repetitur et confirmatur in quodam responso dato die 22 Junii 1934⁽⁶⁾.

Primum Concilium Sinense relate ad administrationem bonorum missionum totaliter adhaesit praescriptionibus juris communis Ecclesiae neque aliquam regulam accomodatam tradidit; fuit igitur intentio Concilii vindicandi jus proprium. In praxi nulla difficultas habita est in hac materia in relatione ad gubernium sinense, quia ipsum usque nunc observantiam normarum administrationis nunquam exigit a missionibus catholicis; sed, si tandem jurisdictio extraterritorialis abrogata fuerit et concordatum cum Sancta Sede non intervenerit, difficultates forsitan non tardabunt exoriri. In talibus conditionibus quaestio non amplius agitur de juribus sed de pastorali prudentia, et missiones, salvis juribus essentialibus, normas aliquas a gubernio sinensi datas pro administratione etiam recipere poterunt.

(5) Normae pro administratione bonorum templorumque Buddhistarum promulgatae sunt die 7 Dec. 1929 noviter. En principales:

((Art. 5. Bona immobilia et res religiosas templorum debent denunciari auctoritati competenti civili et inscribi in registrum publicum)). ((Art. 6. Bona immobilia et res religiosas templorum habendae sunt uti proprietates templorum et administrantur ab administratione templi. Monachus, qui in templo potestatem disciplinarem habet, sub nullo titulo administrator fieri potest. Cives exteri (non de natione sinensi) administratores esse non possunt)). Art. 7. Administrator, praeter expensas pro propagatione fidei religiosae, pro caeremoniis, et alios consumptos ad fines necessarias, non possunt impendere redditus bonorum immobilium)). ((Bona immobilia et res religiosas templi sine consensu congregationis religiosae ad quam illud templum pertinet, et approbatione auctoritatis competentis civilis non possunt aliter disponi vel mutari)). ((Art. 9. Administrator in fine semestris debet rationem administrationis reddere competenti auctoritati civili et rationem publicare)). ((Art. 10. Templum juxta conditionem bonorum immobilium debet operam conferre in favorem boni communis et causarum piarum)). . Cfr. CJD, vol. I, tom. III).

(6) THERY, S.J., *Droit chinoise moderne*, Tiestsin, 1935, I-II, p. 615.

Caput VII

Actus Juridici

Postquam consideravimus jus obiectivum et jus reale in se prout in codicibus, nunc exploremus unam ex causis quae ipsum jus producant, scilicet de actibus juridicis. Actus juridicus est actus humanus cui adjicitur efficacia producens vel mutans vel extinguens aliquod jus. Dicitur actus licitus vel negotium juridicum, si conformis est legibus, sin minus dicitur actus illicitus.

Omnes actus juridici, quamvis aliquando externe appareant simplices, in jure diversa elementa semper habent, indeque subjiciuntur variis praescriptis juridicis. Nam requiritur ad constituendum actum juridice validum imprimis capacitas agendi, quae vel est propria vel est delegata; requiritur ut actus sit humanus, scilicet procedere debuit ex plena cognitione et libera voluntate; requiritur ut effectus sint juxta normam juris; requiritur etiam ut actus conficiatur juxta formam a jure stabilitam. Proinde neminem effugit momentum quaestionis de norma juridica quae actus juridicos peregrinorum in Sinis et consequenter missionariorum regit.

ARTICULUS I. PRINCIPIUM GENERALE

I. PRINCIPIUM GENERALE

In introductione generali de jure peregrino explicavimus principium commune de jure loci actus; juxta hoc principium actus juridici peregrinorum reguntur jure loci, in quo actus juridici perficiuntur. Si principium hoc sumitur prout sonat sic simpliciter, tunc actus juridici peregrinorum in omnibus respectibus habent semper jus loci actus pro regula. Explicatio tamen haec contradicit aliis principiis, veluti principio de capacitate juridica, principio de jure loci rei sitae. Quapropter principium hoc recte explicandum est. Communiter adhibetur princip-

ium juris loci actus ad designandam formam actus; sed adhiberi etiam potest ad indicandas alias conditiones necessarias actus juridici.

In jure peregrino sinensi principium juris loci actus non affirmatur in tehminis generalibus, sed dispergitur in variis praescriptionibus, quae regulant diversa elementa actus. Praeter formam actus, jus peregrinum sinense non multum insistit in affirmando hoc principio. Videamus applicationes.

II. CAPACITAS JURIDICA

Distinguitur capacitas agendi seu capacitas subjective a capacitate objectiva; haec dicit aliquam personam capacem esse subjectum cujusdam juris, illa vero dicit aliquam personam capacem esse hic et nunc ad ponendum quendam actum.

De capacitate juridica tum subjectiva tum objectiva principium a nobis expositum et explicatum est in capitibus praecedentibus, affirmans peregrinum sequi jus propriae patriae.

Quaeritur autem quodnam jus regit capacitatem agendi ex delegatione receptam? Jus peregrinum sinense de hoc silet; sed norma juridica colligi potest ex variis modis delegationis. Si capacitas agendi provenit ex titulo tutelae vel curae, tunc jus, quod regit hanc capacitatem agendi, est jus patriae pupilli; quando vero tutela vel cura instituta fuerit juxta praescripta juris sinensi, capacitas tutoris vel curatoris aestimanda est etiam secundum praescripta juris Sinarum. Si capacitas delegata agendi exsurgit ex aliquo statuto peculiari vel ex contractu, tunc jus capacitatem delegatam regens est jus quod statum illum vel contractum ipsum regit.

III. CONDITIONES NECESSARIAE

In acitubs juridicis praeter capacitatem juridicam, exigitur etiam ut adsint conditiones a jure praescriptae. Quodnam jus praescribit conditiones necessarias pro actibus peregrinorum in Sinis e.g. quid efficiant ignorantia, error, dolus, violentia ...? In Normis de applica-

tione juris haec quaestio praetermittitur nec ulla praescriptio statuitur. Nobis videtur principium juris loci actus in casu praesenti esse applicandum et jus sinense civile de conditionibus actus habere suum vigorem relate ad actus juridicos peregrinorum in territorio sinensi commorantium. Notandum est quod hae conditiones indicant tantummodo eas, quae actum esse humanum juridicum constituunt, non vero comprehendunt alia requisita quae forsitan pertinent ad jura personalia, vel ad jus familiae vel ad jus reale.

Jus civile sinense in articulis 71-74 normas generales de validitate actus juridici tradit; actus juridici a jure aestimantur invalidi, si facti sunt contra normas prohibitivas vel praeceptivas, vel contra ordinem publicum et bonos mores; sunt autem annullandi, si dolose facti sunt ad capienda bona realia alterius. In articulis 86-98 praescripta de manifestatione voluntatis statuuntur. Simulatio qua aliquis declarat dolose quandam voluntatem quam realiter non intendit, non facit factum ipso facto invalidum, nisi altera pars rem clare cognoverit, nec potest opponere contra tertiam personam. Error substantialis confert personae erranti inculpabili jus annullandi actum positum; ita etiam dolus confert jus annullandi actum a parte personae injuste circumventae. In articulis 99-102 loquitur de conditionibus adjectis ad validitatem actus; conditio suspensiva valorem actus suspendit, conditio vero resolutive valorem actus resolvit, nisi aliud in contractu specialiter conventum fuerit; culpabilis pars, quae verificationem conditionis impedivit vel damnificavit effectus conditionis, respondere debet de damnis causatis. Terminus temporis sive suspensivus sive resolutivus obtinet eundem effectum sicut conditio suspensiva et conditio resolutive.

IV. FORMA ACTUS JURIDICI

Forma actus juridici est modus a jure praescriptus pro manifestatione voluntatis et saepe ad validitatem actus requiritur.

((Forma actus juridici fit secundum jus loci actus, nisi in casibus particularibus jus aliter statuerit; sed si forma illius juris quod

regulat effectus actus, observata fuerit, actus etiam valet. Praescriptio paragraphi praecedentis non applicatur actibus juridicis, qui finem habent in disponendo vel conservando jure tituli)) (Art. 26. NAJ). Jus igitur sinense in hac dispositione duplicem formam actus admittit: formam praescriptam a jure loci actus et formam praescriptam a jure quod regit substantiam actus. Missionarius proinde in Sinis laborans pro actibus civilibus juridicis potest libere vel sequi formam juris sinensis vel formam juris substantiam sui actus regulantis accipere. (Nisi in casibus particularibus jus aliter statuerit)), jus hic meminit aliquorum actuum specialium, qui vel relictus sunt voluntati privatae quoad electionem juris pro forma contractus, vel determinatam formam stabilitam semper habent, veluti actus personae moralis. In his casibus exceptio a regular generali datur.

V. EFFECTUS ACTUUM JURIDICORUM

Actus juridici ponuntur inquantum producunt effectum, qui per se distinguitur ab ipso actu producente; ideoque jus quod regit actum, non semper regit ejus effectum. Nostra igitur interest cognoscere jus quod regulam pro effectibus actuum peregrinorum in Sinis suppeditat. Responsio generalis in nullo jure inveniri potest, sed inspicienda sunt diversa praescripta juris secundum naturam actuum. Sinense jus peregrinum aliquando remittit totum actum ad aliquod jus, quod in casu regulat actum ipsum ejusque effectus, v.g. jus reale, testamentum: aliquando vero distinguit jus quod regit actum, a jure quod regit effectus, v.g. effectus adoptionis, effectus matrimonii ... Quando autem jus dicit liberum esse privatorum voluntati sibi eligere jus, libertas etiam datur voluntati privatae in electione juris pro effectibus juridicis.

VI. ACTUS PUBLICI ET ACTUS AUTHENTICI

Hic actus non sumitur in suo fieri sed in suo esse; inde actus publicus intelligitur de ipso actu quo constituitur documentum publicum, et actus authenticus quo constituitur documentum authenticum. Hae duae species actuum multum inferunt in iudicium relate ad probationes proferendas.

Quaeritur quaenam sit norma secundum quam aliquod documentum peregrini in Sinis aestimetur esse publicum vel authenticum? Nobis videtur his esse applicandum principium juris loci actus; norma juridica pro aestimatione actus publici vel authentici est jus loci in quo ipse actus positus est. Exexceptio quaedam apparet in jure processuali sinensi; nam in Art. 275 habetur ista dispositio: documentum a legatis exteris conscriptum valet, si nihil contra jus sinense continet; etiamsi forsitan conscriptum fuerit contra jus patriae propriae ⁽¹⁾. Inde possumus regulas hoc modo indicare: 1) omnes actus aestimantur publici vel authentici, si jus sinense ita eos aestimat; 2) omnes actus aestimantur esse publici vel authentici, si jus loci actus ita eos aestimat et nihil contra bonos mores sinenses et ordinem publiciis continetur. In tribunali ecclesiastico aestimatio facienda est secundum praescripta juris canonici, pro documentis vero civilibus aestimatio sequitur praescripta juris civilis: ((Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscujusque loci leges talia jure censentur)) (can. 1813).

ARTICULUS II. DE OBLIGATIONIBUS

I. PRINCIPIUM

Obligatio intelligitur de illo vinculo juridico, quo quis obtinet jus in aliquam personam ut haec persona sibi aliquid praestet vel faciat.

Principium juridicum in jure sinico peregrino pro regulandis obligationibus habetur in Art. 23 (NAJ) et consistit in libera electione juris cum supplemento juris loci actus.

((Actus juridici obligationem generantes, quoad sua requisita necessaria et effectus tenentur jure quod contrahentes sibi observandum elegerint. Quando vero voluntas contrahentium obscura remanserit, si contrahentes sunt cives ejusdem Civitatis, observatur jus loci

(1) CPSJ, tom. VII, p. 50. N.B. Legati exteri in implendo proprio officio actus publicos atque authenticos ponent secundum jus suae patriae.

actus. Si loci actus sunt differentes, habendus est, uti locus actus, ille locus ex quo nuntium contractus emissum fuit. Si vero locus ex quo contractus petitur, different a loco in quo contractus fit, habendus est uti locus actus ille locus ex quo petitionis nuntium emissum est et jus istius loci observandum est in contractu; si pars contractui consentiens, tempore consensus praestandi, nescit locum ex quo petitio emissa est, tunc locus actus crit locus, in quo pars contractum petens domicilium habet (tempore contractus neundi)). Secundum has praescriptiones jus pro obligatione est duplex: jus quod partes elegerint et jus loci actus. Si partes consensu mutuo statuerint jus pro suo contractu, jus hoc praevallet omnibus aliis juribus, nisi ordo publicus vel boni mores sinenses aliud exigant. Si jus non fuerit electum, tunc jus loci actus observatur in contractu.

Principium modo expositum in pactis veteribus jam habebat suas expressiones: ... Pretium pro locatione territorii vel domorum, quae necessariae sunt civibus gallicis, convenitur a duabus partibus secundum consuetudinem locorum. Magistratus sinenses curam habebunt quoninus cives Sinenses pretium nimis augeant; consules Gallici curant etiam ne Gallici cives violenter conducant locationem ... (Art. 10 pacti cum Gallia an. 1858). ((... De stipendiis vel ipsi inter se conveniant vel consules pro ipsis stipulent)) (Art. 11 pacti cum Gallia an. 1858) ⁽²⁾. Licet hic sermo sit tantummodo de pretio, supponitur tamen quod cetera omnia, quae intime connectuntur cum pretio, consuetudines sinenses vel voluntates contrahentium sequantur.

Peroportunum est hic in memoriam revocare quod nonnullae obligationes prohibentur missionariis a jure ecclesiastico.

((A fide jubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario)) (can. 137).

(Turpe est et Dei ministris indignum, pro pecuniae mutuis, sive ex bonis missionis quando fiunt ex licentia Ordinarii, sive ex bonis

(2) PVNS, vol. IV, tom. I, p. 4.

patrimonialibus, exigere fenus seu usuram quam in infidelibus ipsis abhorremus)) (Num. 171 PCS).⁽³⁾

Quoad solutionem obligationis jus ecclesiasticum dignitati clericali ita consulit: ((Clericis, qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici judicis arbitrio, sunt necessaria, firma tamen eorundem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi)) (can. 122).

((Si quis ex missionariis vel ex sacerdotibus cleri indigenae sine sui Ordinarii consensu in scriptis dato, oneratur aliena pecunia, nullo modo missio tenetur obligatione reddendi pecuniam, etiam si pro missionis operibus expensa sit)) (Num. 158 PCS)⁽⁴⁾.

((Quoad obligationem ex quasi-contractu observatur jus loci facti)) (Art. 24 NAJ). Quasi-contractus est actus voluntarius, ex quo sine praehabito consensu exsurgit quaedam obligatio versus aliquam personam vel quaedam obligatio reciproca inter personam quae factum posuit et personam cui allatum est ex facto damnum vel emolumentum. Pro peregrinis in Sinis jus sinense statuit relate ad hanc speciem obligationis jus loci facti esse observandum. Jus non dicit locum actus sed locum facti, quia obligatio ex quasi-contractu non producitur ex voluntate agentis sed ex lege; propterea jus sinense considerat quasi-contractum esse factum quoddam juridicum simpliciter.

Obligatio ex quasi-contractu exorta potissimum est duplex, scilicet obligatio ex gestione negotii alterius sine mandato et obligatio ex solutione indebita. Missionarii itaque in Sinis, qui gestaverint negotium quoddam civis sinensis vel peregrini, vel debitum inexistens solverint, vel solutionem indebitam receperint, ad componendam causam procedere debent juxta praescripta juris sinici. Jus sinicum civile praescripta de gestione sine mandato in articulis 172-178, de solutione indebita in articulis 179-183 dedit⁽⁵⁾.

(3) Cfr. PCS, p. 71

(4) Cfr. PCS, p. 75, 71.

(5) Cfr. CJCS, p. 53-56, 56-58.

II. OBLIGATIO EX ACTIBUS ILLICITIS

((Quoad obligationem ex actibus illicitis observatur jus loci actus; sed si actus habendus non est uti delictum secundum jus sinense, jus loci actus non applicatur. Reparatio damni et petitio aliarum punitionum relate ad actus illicitos paragraphi praecedentis fieri possunt tantum in casibus in quibus jus sinense id permittit)) (Art. 25 NAJ).

Actus illiciti sunt illi actus juridici qui contra legem facti sunt, et distinguuntur in delictum et quasi-delictum. Delictum civile habetur, quando quis actu illicito et voluntario alicui damnum patrimoniale infert; quasi-delictum civile habetur, quando quis actu illicito damnum patrimoniale alteri involuntarie infert ... Differentia consistit in habendo vel non habendo animum nocendi. Jus peregrinum sinense de obligatione orta ex actibus illicitis ponit principium generale in observantia juris loci actus, sed insimul addit ei principio plures exceptiones restringendo jus damni reparandi ad normam juris sinensis civilis et poenalis. Inde obligatio et reparatio damni peregrinorum in Sinis possunt agi apud tribunal Sinarum tantum in casibus, in quibus jus sinense considerat juxta propria praescripta actum esse illicitum eique reparatioem damni connexam esse. Missionarii eadem norma in relatione ad has obligationes sese regulare debent.

III. CONTRACTUS IN JURE CANONICO

Pro contractibus codex juris canonici recipit jus civile: ((Quae jus civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem jure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus servantur, nisi juri divino contraria sint aut aliud jure canonico caveatur)) (can. 1529). ((Quod attinet ad tempus urgendi contractum obligationis, servetur, nisi aliter expressa pactione conventum fuerit, praescriptum juris civilis in territorio vigentis)) (can. 33).

Codex tamen excipit donationes ad causas pias mortis causa quae valere debent, etiamsi solemnitates civiles servare omiserunt; nihilominus praecipit ut servantur, si fieri possint, solemnitates juris civilis (can. 1513 parag. 2).

Qualis est relatio inter praescripta juris canonici et jus peregrinum? Praescripta juris canonici jubent ut in contractibus de rebus ecclesiasticis observentur praescriptiones juris civilis respectivae Civitatis. Jus civile de obligationibus tractat in codice juris civilis; sicut codex juris canonici receipt praescripta de obligatione, recipit ideo jus statutum in codice juris civilis; et sub hoc respectu nulla est relatio inter jus peregrinum et receptionem juris canonici. Attamen cum missiones in terris infidelium considerentur a gubernio associationes exterae religionis, quaestio exsurgit: pro contractibus missionum codex juris canonici recipitne jus civile substantiale an jus peregrinum normativum? Stricte loquendo, missiones in terris infidelium non sunt aestimandae uti associationes exterae sed associationes religiosae internae civium et proinde pro obligationibus observant jus civile substantiale. Postquam vero de facto missiones consideratae sunt associationes exterae, nobis videtur codex juris canonici recepisse jus peregrinum pro obligationibus contractualibus missionum. Postea receptio juris civilis in codice juris canonici facta est verbis generalibus, non distinguendo jus civile substantiale et jus peregrinum normativum, sed receptio fit quoad omne jus quod respectiva Civitas statuit pro contractibus; ideoque norma juridica statuta pro contractibus peregrinorum etiam recipitur a jure canonico.

Quaestio sub altero respectu proponi adhuc potest. Quale jus adhiberi debet, quando contractus perficitur inter personam ecclesiasticam internam cum persona ecclesiastica extra territorium nationis existente vel a duabus personis ecclesiasticis internis de bonis extra patriam existentibus? v.g. Vicariatus quidam Apostolicus sinensis contractum init cum capitulo vel monasterio quodam exsistente in Italia, vel duo Vicariatus Apostolici sinenses contractum ineunt de bonis existentibus in Statibus Foederatis A.S. Quaeritur: Utrum

receptio juris canonici in his casibus fit quoad jus substantiale civile an quoad jus peregrinum normativum? In his casibus sine dubio receptio fit juxta jus peregrinum normativum.

IV. CONTRACTUS IN JURE MISSIONARIO IN SINIS

Secundum conclusionem paragraphi praecedentis contractus ineundi a missionibus catholicis in Sinis reguntur jure sincio peregrino; missiones igitur in suis contractibus eligere valent jus observandum; tamen in illis casibus, quando gubernium sinense aliqua praescripta specialia pro contractibus missionum statuit, missiones catholicae haec praescripta sequi tenentur, nisi aliquid contra jus divinum vel contra jus canonicum continetur. Missiones catholicae, ed evitanda mala majora, sua bona in tuto collocare student et sese, inquantum fas est jure divino permittente, submittunt praescriptis gubernii sinensis. Ita in Primo Concilio statutum est: ((Quidquid acquiritur Ecclesiae vel missioni, nulli missionario vel sacerdoti indigenae licet, imo absolute prohibetur, proprio inscribere nomine; sed solummodo nomino Missionis...)) (Num. 541).

((In contractibus acquisitionis omnia Ecclesiae bona inscribantur Tien-chu-tang-kung-chang juxta conventiones inter gubernium sinicum et nationes externas statutas. Insuper ne mandatarum locales recusent sigillis munire et in tabellas publicas referre contractus nostros emptionis, servari debent, ad normam modo dictarum conventionum, regulae a gubernio sinensi nobis impositae circa acquisitionem domorum et agrorum pro missione)) (Num. 542) ⁽⁶⁾.

Vidimus supra de normis datis a gubernio sinensi pro acquisitione bonorum immobilium; inter quas normas elementum essentiale consistit in adprobatione contractus ab auctoritate locali et in inscriptione in tabellis publicis. Recenter normae pro adprobatione et inscriptione datae sunt mense Januarii 1932: inter quas legitur: ((Quasi merca-

(6) Cfr. PCS, p. 227.

tores exteri in portibus apertis in perpetuum locant domos vel fundos et missionarii in regionibus internis locant vel emunt bona inanimabilia nomine religionis, illi debent in contractu adnotare nomina contrahentium eorumque domicilium, adnotare etiam nomina, limites et pretium bonorum immobilium de quibus contractus agitur, et documenta praecedentia. Die vero constituti pretii (quo conventum est de pretio), duobus mensibus ante diem contractus ineundi, debent tum factum denuntiare in ephemeridibus publicis, tum contractum praeparatum cum ephemeridibus, in quibus denuntiatio facti publicata fuerit, deferre ad auctoritatem competentem civilem vel ad auctoritatem competentem vectigalem. Auctoritas tunc competens ad quam contractus delatus fuerit, debet examinare num contractus possit fieri sine obstaculo, sine dolo et sine vi, deinde contractum per decretum omnibus notum facit. Transactis duobus mensibus a die publicationis decreti, si nemo oppositionem promoverit, permittitur contractum definitive conscribi et pretium dari. Si vero hic modus procedendi non observatus fuerit et contractus ante tempus requisitum conscriptus fuerit, contractus irritus habendus est nec pretium datum valorem habet relate ad contractum)) (Art. 2) ⁽⁷⁾.

(7) Reperi hanc citatam normam ab amico in Sinis degente sine notatione loci ubi haec norma invenitur.

Caput VIII

Defensio Juris

Si peregrinis plura jura conceduntur eorumque exercitia etiam recognoscuntur, necessarium est eis praesto sit defensio suorum jurium, secus enim illusoria esset concessio. Pro defensione juris peregrinorum in Sinis specialis habebatur dispositio propter jurisdictionem extraterritorialem, quae peregrinos a jurisdictione judiciali sinensi subtraxit eosque tribunalibus nationalibus submitit. Facultas igitur data est Statibus, qui pactum de hoc privilegio cum Sinis iniverunt, tribunal proprium in territorio sinensi instituendi et proprios cives in Sinis commemorantes judicandi. In hoc ultimo capite exponemus summatim exercitia defensionis juris et varia tribunalia, quae cum missionariis relationes habebant.

ARTICULUS I. EXERCITIA DEFENSIONIS JURIS

I. MODUS DEFENSIONIS

In jure positivo, si datur jus, datur quoque defensio: jus defenditur per varias species actionum et exceptionum: per illas persona vel praevenit periculum damni futuri vel postulat indemnitate damni habiti, per has persona sese defendit in possessione sui juris contra injustam perturbationem aliorum.

Peregrini pro defensione suorum jurium inspicere semper debent praescripta juris positivi, quod defensionem eis concedit. Jus vero quod peregrinis defensionem juris concedit, non est nec potest esse jus unius Status; quia defensio adhaeret juri, quod defenditur; peregrini autem plura jura (subjectiva) sibi attribuunt secundum diversa jura

(objectiva). Quapropter peregrinus in Sinis vel missionarius in Sinis pro defensione suorum jurium recurrere debet ad jus illud quod in casu est norma juridica agendi, nempe pro defensione jurium status civilis est jus patriae, iterum jus patriae pro defensione jurium familiae, pro defensione jurium realium est jus loci rei sitae...

II. ORDO PUBLICUS ET BONI MORES

Attamen aliquid aliud, quam jus defensionem regulans, est attendendum in defensione jurium peregrinorum in Sinis, scilicet principium, quod cavet ut ordo publicus et boni mores Sinarum tecti sartique semper sint. Principium de ordine publico et de bonis moribus in praecedentibus capitibus, licet apparenter a nobis neglectum fuerit, reapse semper supponitur. Dicitur in Articulo I. NAJ: ((Quando juxta has normas praesentes leges exterae applicari debent, si applicatio in casu laedit ordinem publicum vel bonos mores Reipublicae Sinarum, tunc applicatio fieri non debent)).

Haec igitur praescriptio amplissimum ambitum habet et derogare potest omnibus quae dicta sunt circa jus peregrinum, quod est norma juridica peregrinorum in diversis suis actibus. In omni conflictu inter leges exteras et ordinem publicum Sinicum vel bonos mores internos, leges exterae cedere debent et applicatur jus sinense quod consulit ordini publico vel bonis suis moribus. Ideoque bene intelligitur cur in Normis de applicatione juris quaedam exceptiones statutae sint in favorem juris sinensis, sicut in declaratione interdictionis requiritur ut causa interdictionis etiam adsit in jure sinensi, pro petitione sustentationis requiritur ut id permittatur a jure sinensi, in reparatione damni jus sinense consideratur regula ... Defensio juris privati per se non tangit ordinem publicum neque bonos mores, sed aliquando eos perturbare potest; quamobrem jus sinense exigit ut haec non fiat contra sua praescripta.

ARTICULUS II. TRIBUNAL ECCLESIASTICUM

I. JUS COMMUNE

Juxta praescripta juris canonici missionarii in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus conveniri debent coram iudice ecclesiastico, scilicet apud tribunal ecclesiasticum. In Primo Concilio Sinensi pauca, vel fere nihil, statuta sunt relate ad processus; hoc explicatur ex diversis causis, quia ex una parte causae ecclesiasticae relative paucae sunt, ex altera parte unaquaeque missio personas competentes ad efformandum proprium tribunal difficulter invenire potest. Quamobrem Ordinarii Loci pro casibus, qua sunt prudentia et justitia, provident ut causae exortae extrajudicialiter tractentur. Si vero tandem causa judicialiter tractanda est, res procedere debet juxta praescripta juris canonici communis. Quod attinet ad causas exortas inter missionarios utpote religiosos religionis clericalis exemptae, observantur praescripta etiam juris communis.

Tribunal primae instantiae naturaliter est tribunal constitutum ab Ordinario loci; tribunal vero appellationis propter defectum hierarchiae ecclesiasticae in terris missionum eligitur ab Ordinario loci cum approbatione Sanctae Sedis.

II. TRIBUNALIA APPELLATIONIS ECCLESIASTICA IN SINIS

Omnes missiones in Sinis usque ad annum 1936 erectae eligerunt jam suum proprium tribunal appellationis; nos brevitatis causa elenchum horum tribunalium simpliciter exhibemus.

Anhwei (Provincia)

1. Anking Vic.	Elegit	Wuhu Vic.
2. Pen-Pu Vic.	Elegit	Anking Vic.
3. Wuhu Vic.	Elegit	Wuhu Vic.

Chekiang (Provincia)

4. Chuchow (Praef.)	Elegit	Ningpo Vic.
5. Hangchow Vic.)	Elegit	Ningpo Vic.
6. Ningpo Vic.	Elegit	Hangchow Vic.
7. Taichow Vic.	Elegit	Ningpo Vic.

Fookien (Provincia)

8. Amoy Vic.	Elegit	Foochow Vic.
9. Foochow Vic.	Elegit	Funingfu Vic.
10. Funingfu Vic.	Elegit	Foochow Vic.
11. Kienningfu Vic.	Elegit	Foochow Vic.
12. Shaowu (Mission.)	Elegit	Foochow Vic.
13. Tingchow (Praef.)	Elegit	Foochow Vic.

Honan (Pronvincia)

14. Chengchow Vic.	Elegit	Kaifeng Vic.
15. Chunmatien (Praef.)	Elegit	Kaifeng Vic.
16. Kaifeng Vic.	Elegit	Chengchow Vic.
17. Kweiteh Vic.	Elegit	Kaifeng Vic.
18. Loyang (Praef.)	Elegit	Kaifeng Vic.
19. Nanyang Vic.	Elegit	Kaifeng Vic.
20. Sinyanchow (Praef.)	Elegit	Kaifeng Vic.
21. Weihweifu Vic.	Elegit	Kaifeng Vic.

Hopei (Provincia)

22. Ankuo Vic.	Elegit	Peiping Vic.
23. Chaoshien Vic.	Elegit	Peiping Vic.
24. Chenting Vic.	Elegit	Peiping Vic.
25. Paoting Vic.	Elegit	Peiping Vic.
26. Peiping Vic.	Elegit	Tientsin Vic.
27. Shuntehfu (Praef.)	Elegit	Peiping Vic.
28. Shienshien Vic.	Elegit	Peiping Vic.
29. Suanhwafu Vic.	Elegit	Peiping Vic.
30. Tientsin Vic.	Elegit	Peiping Vic.

31. Yihien (Miss.)	Elegit	Peiping Vic.
32. Yungnien Vic.	Elegit	Peiping Vic.
33. Yungpinfu Vic.	Elegit	Peiping Vic.

Hunan (Provincia)

34. Changsha Vic.	Elegit	Changteh Vic.
35. Changteh Vic.	Elegit	Changsha Vic.
36. Hengchow Vic.	Elegit	Changsha Vic.
37. Lichow (Praef.)	Elegit	Changsha Vic.
38. Shenchow (Praef.)	Elegit	Changsha Vic.
39. Yochow (Praef.)	Elegit	Changsha Vic.
40. Yungchowfu (Praef.)	Elegit	Changsha Vic.

Hupei (Provincia)

41. Hankow Vic.	Elegit	Wuchang Vic.
42. Hanyang Vic.	Elegit	Hankow Vic.
43. Ichang Vic.	Elegit	Hankow Vic.
44. Laohokow Vic.	Elegit	Hankow Vic.
45. Puchi (Praef.)	Elegit	Hankow Vic.
46. Wuchang Vic.	Elegit	Hankow Vic.

Kansu - Sinkiang (Provincia)

47. Lanchowfu Vic.	Elegit	Tsinchow Vic.
48. Pingliang (Praef.)	Elegit	Langchowfu Vic.
49. Sinkaing (Miss.)	Elegit	Langchowfu Vic.
50. Tsinchow Vic.	Elegit	Langchowfu Vic.

Kiangsi (Provincia)

51. Kanchow Vic.	Elegit	Kianfu Vic.
52. Kianfu Vic.	Elegit	Nanchang Vic.
53. Nanchang Vic.	Elegit	Kianfu Vic.
54. Yukiang Vic..	Elegit	Kianfu Vic.

Kiangsu (Provincia)

55. Haimen Vic.	Elegit	Nanking Vic.
56. Nanking Vic.	Elegit	Haimen Vic.
57. Suchow (Praef.)	Elegit	Nanking Vic.

Kiangsi - Yunan - Kweichow (Provincia)

58. Lanlung Vic.	Elegit	Kweiyang Vic.
59. Nanning Vic.	Elegit	Wuchow Vic.

60. Kweiyang Vic.	Elegit	Langlung Vic.
61. Shihtsieng (Miss.)	Elegit	Kweiyang Vic.
62. Tali (Miss.)	Elegit	Yunanfu Vic.
63. Wuchow Vic.)	Elegit	Nanning Vic.
64. Yunanfu Vic.	Elegit	Tali (Miss.)

Kwangtung (Provincia)

65. Hainan (Miss.)	Elegit	Hongkong Vic.
66. Hongkong Vic.	Elegit	Macao (Dioces.)
67. Kaiyang (Praef.)	Elegit	Hongkong Vic.
68. Kanton Vic.	Elegit	Hongkong Vic.
69. Macao (Dioces.)	Elegit	Hongkong Vic.
70. Kongmoon Vic.	Elegit	Hongkong Vic.
71. Pakhoi Vic.	Elegit	Hongkong Vic.
72. Shiuchow Vic.	Elegit	Hongkong Vic.
73. Swaton Vic.	Elegit	Hongkong Vic.

Manciuria (tres provinciae)

74. Fushun (Praef.)	Elegit	Mukden Vic.
75. Ilan (Miss.)	Elegit	Mukden Vic.
76. Kirin Vic.	Elegit	Mukden Vic.
77. Mukden Vic.	Elegit	Kirin Vic..
78. Szepingkai Vic.	Elegit	Mukden Vic.
79. Tsitsikar (Praef.)	Elegit	Mukden Vic.
80. Yenki Vic.	Elegit	Wonson Vic.

Mongolia (Provincia)

81. Chihfeng (Praef.)	Elegit	Tatung Vic.
82. Jehol Vic.	Elegit	Tatung Vic.
83. Ningsia Vic.	Elegit	Tatung Vic.
84. Siwantze Vic.	Elegit	Tatung Vic.
85. Suiyuang Vic.	Elegit	Tatung Vic.
86. Tsining Vic.	Elegit	Tatung Vic.

Shangtung (Provincia)

87. Changtien (Praef.)	Elegit	Tsinanfu Vic.
88. Chefoo Vic.	Elegit	Tsinanfu Vic.
89. Lintsing (Praef.)	Elegit	Tsinanfu Vic.
90. Tsingtao Vic.	Elegit	Tsinanfu Vic.

91. Tsinanfu Vic.	Elegit	Yenchowfu Vic.
92. Weihaiwei (Miss.)	Elegit	Tsinanfu Vic.
93. Yenchowfu Vic.	Elegit	Tsinanfu Vic.
88. Chefoo Vic.	Elegit	Tsinanfu Vic.

Shansi (Provincia).

94. Fenyang Vic.	Elegit	Taiyuanfu Vic.
95. Hungtung (Praef.)	Elegit	Taiyuanfu Vic.
96. Kingkow (Praef.)	Elegit	Taiyuanfu Vic.
97. Luanfu Vic.	Elegit	Taiyuanfu Vic.
98. Shohchow Vic.	Elegit	Taiyuanfu Vic.
99. Tatung Vic.	Elegit	Taiyuanfu Vic.
100. Taiyuanfu Vic.	Elegit	Fengyang Vic.
101. Yutze (Praef.)	Elegit	Taiyuanfu Vic.

Shensi (Provincia)

102. Chouchih (Praef.)	Elegit	Sianfu Vic.
103. Hanchungfu Vic.	Elegit	Sianfu Vic.
104. Hinganfu (Praef.)	Eleigit	Sianfu Vic.
105. Sanyuan (Praef.)	Eleigit	Sianfu Vic.
106. Sianfu Vic.	Eleigit	Yennanfu Vic.
107. Tunchow (Miss.)	Eleigit	Sianfu Vic.
108. Yennanfu Vic.	Eleigit	Sianfu Vic.

Szechwan (Provincia)

109. Chengtu Vic.	Elegit	Chungking Vic.
110. Chungking Vic.	Elegit	Chengtu Vic.
111. Ningyuanfu Vic.	Elegit	Chengtu Vic.
112. Shungkingfu Vic.	Elegit	Chengtu Vic.
113. Suifu Vic.	Elegit	Chengtu Vic.
114. Tatsienlu Vic.	Elegit	Chengtu Vic.
115. Wanshien Vic.	Elegit	Chengtu Vic.
116. Yanchow Vic.	Elegit	Chengtu Vic.

Cfr. A.A.S. (N. 15, 27, 59 in A.A.S. 25 [1933] 251.

(N. 96 in A.A.S. 28 [1936] 473.)

(Ceteri omnes numeri in A.A.S. 24 [1932] 303-307).

ARTICULUS III. TRIBUNAL SINENSE

I. TRIBUNALIA COMPETENTIA

Semo fuit de competentia tribunalium sinensium quando agebamus de jurisdictione extraterritoriali; in praesenti paragrapho et in subsequentibus articulis de tribunalibus exteris discurremus tantum de constitutione horum tribunalium; inter quae tribunal sinense jure meritoque primo loco tractandum est.

Initis primis pactis de jurisdictione extraterritoriali, auctoritas imperialis sinensis consideravit statim characterem specialem causarum mixtarum ⁽¹⁾ eaque submitit tribunalibus speciatim constitutis, quae trantummodo in aliquibus portibus apertis exsistebant et a ministerio pro negotiis exteris dependebant. Post foundationem Reipublicae Sinarum competentia exclusiva hujus ministerii pro causis mixtis remansit intacta et commissarii missi sunt in omnes civitates principales singularum provinciarum, qui commissarii negotia diplomatica ordinaria tractarent et causas mixtas judicialiter cognoscerent. Cum vero gubernium sinense jurisdictionem extraterritorialem abrogare conaretur, tribunalia ista specialia dissolvere voluit et mixtas causas ad tramitem ordinarium processualem reduxit. Itaque cessat competentia ministerii pro negotiis exteris relate ad causas mixtas, quae ransierunt ad competentiam tribunalium communium Sinarum ⁽²⁾.

II. NORMAE SPECIALES

Interim in periodo reformationis jurisdictionis judicialis aliquae normae speciales provisoriae datae sunt, speciatim relate ad tribunal primae instantiae. In decreto Yuan Justitiae die 15 Julii 1930 promulgato legitur: ((Causae mixtae civium Sinensium et peregrinorum a die

(1) Cfr. JEAN ESCARRA, *La Chine et le droit International*, Paris 1931, p. 56.

(2) *Littera ministerii pro negotiis exteris ad Yuan Justitiae*, 11 Martii 1930, Cfr. CCJV, tom. V, p. 563-564.

primo mensis Septembris anni decimi uoni Reipublicae (1930) in districtibus, in quibus subpraefectus civilis jurisdictionem judicalem sibi non retinet, cognoscuntur a tribunali locali (tribunal locale, ejusque sectiones et subsectiones...); in districtibus, in quibus subpraefectus sibi retinet adhuc jurisdictionem judicalem, cognoscuntur interim ab ipso; tamen in causis contentiosis, si duae partes consenserint, possunt secundum dispositoinem novi juris processualis eligere tribunal apud quod causa introducat et cognoscatur))⁽³⁾. Die 19 Julii 1930 Yuan Executionis alterum decretum publicavit, in quo inter alia praecipitur: ((N. 2. post suppressionem officii Commissarii pro negotiis exteris in portibus apertis, causae mixtae inceptae sed nondum finitae transmittuntur ad officium Commissarii pro negotiis exteris in civitate metropolitana provinciae; post suppressionem officii Commissarii in civitate metropolitana provinciae, causae transmittuntur ad tribunal competens ordinarium...))⁽⁴⁾.

Normae publicatae a gubernio sinensi anno 1922 mense Majo et nunc adhuc vigentes pro peregrinis nationis jurisdictionem extraterritorialem non habentibus:

((Art. 1. Causae sive contentiosae sive criminales peregrinorum ex nationibus jurisdictione extraterritoriali non gaudentibus judicantur secundum has normas)).

((Art. 2. Causae, de quibus in articulo praecedenti agitur, in prima instantia, exceptis criminalibus enumeratis in Articulis 3, 4, et 6 juris processualis criminalis (Schema praeparatorium)⁽⁵⁾ cognoscuntur a tribunalibus localibus vel a sectionibus localibus, quae sunt annexae tribunalibus regionalibus pro regionibus speciali administrationi subjectis, vel a ceteris tribunalibus quae competentiam habent cognoscendi causas in prima instantia; in regionibus vero, ubi neque tribunalia localia neque sectiones locales institutae sunt, auctoritates civiles illarum regionum transmittere debent causas mixtas ad tribunal

(3) CCJV, p. 565, tom. V.

(4) CJV, tom. V, p. 562.

(5) Videas in pagina sequenti.

locale vel ad sectionem localem regionis vicinioris: in locis autem dissitis, ubi nec possibilitas habetur causam transmittendi, auctoritas civilis illarum regionum rem defert ad ministerium Justitiae et stat ad ejus responsum)).

((Art. 4. Quoad modum procedendi praeter ea quae in his normis statuta sunt, omnia procedunt secundum jus processuale tam contentiosum quam criminale, et secundum responsa Ministeriorum gubernii, si qua dantur pro determinatis casibus, nec non secundum alias normas quae a gubernio pro specialibus negotiis forte stabilitae fuerint))⁽⁶⁾.

ARTICULUS IV. TRIBUNAL EXTERUM

I. TRIBUNAL MIXTUM

Postea quae vidimus de jurisdictione extraterritoriale in Sinis, nihil est mirum quod exsistebant tribunalia externa in territorio sinensi. Variae species erant tribunalium exterorum, quae juxta verba pactorum suam propriam jurisdictionem exercebant super suos cives in Sinis commorantes; species horum tribunalium generatim tres distinguuntur: tribunal mixtum, tribunal exterum simplex et aula mixta.

In pactis cum Gallia initis gubernium sinense annuit ut pro causis contentiosis inter cives sinenses et gallos tribunal mixtum instituere-
tur. Hoc tribunal non est stabile, sed constituitur singulis vicibus, quando adest causa tractanda, ex magistratu locali sinensi et consule gallico. Duo igitur sunt iudices, qui aequalem jurisdictionem habent. Tamen causa non procedit stricta cum justitia sed secundum aequitatem (aequum et bonum). Quando vero dissensio exoritur inter duos iudices vel melius arbitros, quaestio defertur ad ministerium pro negotiis exteris, quod cum legato gallico in Sinis residente rem componit. Hoc systema tribunalis vigeat etiam pro causis peregrinorum Italiae, Belgii, Daniae, Peru, Suetiae et Norvegiae, Hollandiae.

(6) Haec crimina habentur nunc in jure processuali criminali Art. 4 et sunt crimina contra Statum et contra relationes diplomaticas. Cfr. CPSJ, tom. VIII, p. I. — Col. jurium et decretorum, Shanghai, 1924, p. 893.

II. TRIBUNAL EXTERUM

Praeter tribunal mixtum existebant in Sinis tribunalia externa proprio sensu dicta, quae constituuntur ex iudicibus et aliis personis necessariis unius cujusque nationis quae jurisdictionem extraterritorialem in Sinis habet. Practice tamen non omnes nationes proprium tribunal constituerunt.

Hoc tribunal exterum iudicabat in primis causas criminales peregrinorum secundum omnia pacta vetera; iudicabat etiam causas contentiosas sive cum assistentia assessoris sinensis sive sine hac assistentia.

III. AULA MIXTA (Cours mixtes)

Aula mixta distincta et diversa est a tribunali mixto; est enim tribunal constitutum in Concessionibus pro causis mixtis. Hoc tribunal est stabile, sed non in omnibus Concessionibus existit; existit tantum in Concessione internationali civitatis Shanghai, in Concessione gallica Civitatis Shanghai, in Concessione gallica civitatis Hankow et in Concessione Internationali civitatis Amoy.

ARTICULUS V. MISSIONES CATHOLICAE IN SINIS RELATE AD TRIBUNALIA

I. MODUS PROCEDENDI

((Missiones)) hic snmitur ad designandas divisiones territorii missionum scilicet ad designandos Vicariatus vel Praefecturas Apostolicas. Hae divisiones territorii in jure comparantur diocesibus neque infra Romanum Pontificem alium superiorem habent. Proinde cause exortae inter missiones exclusive pertinent ad Pontificem ipsum et in prima instantia iudicantur a Sancta Romana Rota.

Dari autem potest casus in quo Vicariatus vel Praefectura quaedam de rebus mere civilibus cum aliqua persona privata agit vel convenitur; tunc tribunal competens est tribunal civile in Sinis existens.

Antiquis temporibus norma statuta est inter gubernium sinense et legatum gallicum ut quaestiones missionum a legatis nationum protectoratum religiosum exercentium cum ministerio pro negotiis exteris tractarentur (sicut supra vidimus). Sed hic modus procedendi jam est obsoletus et Primum Concilium eum corrigere conatum est, statuendo in Numeris 25 et 700 prohibitionem recurrendi ad legatos exterae nationis, nisi in extrema necessitate.

II. JUS ECCLESIASTICUM

Aliquid speciale etiam statutum est in Primo Concilio relate ad interventum missionariorum in causis fidelium: in pactis enim veteribus protectoratus religiosus extenditur ad christianos indigenos, missionarii igitur sub titulo christianos protegendi interveniebant in causis fidelium:

((Inconsulto Episcopo, ejusve delegato, nec in negotia saecularia christianorum, nec in quaestiones inter fideles multoque inter catechumenos exortas, nullo modo se immisceat sacerdos cujuscumque sit conditionis))(Num. 720).

((Si quando opportuerit sacerdotem de controversia statuere et cognoscere, causas dissensionis pacato animo perpendat, nec tam cito in favorem christianorum iudicium ferat)) (Num. 723).

((Innixa pactionibus quae a Sinis cum exteris nationibus de protectione religionis initae sunt, missionarii possunt agere in tribunali pro causis directe religionem spectantibus, id est pro defensione et bonorum et personarum missionis, nec non christianorum et catechumenorum, qui certe injuste ob religionis causam a paganis opprimuntur. Sed hoc munus soli Ordinario competit et cui ipse id delegaverit)) (Num. 724).

((Delegatus Episcopi, ante quam agat in tribunali, quaestionem totam iterum examinare debet; et si, peracta hac inquisitione, causa deprehendatur dubia vel mixta, idest si christiani habeant causam partim ad religionem partim ad ordinem civilem spectantem, delegatus prius consulat Ordinarium)) (Num. 726).

((Sedulo vigilant sacerdotes, ne fideles extorqueant pecunias ab infidelibus occasione vel praetextu injuriae religioni illatae)) (Num. 727).

((Nullo modo se immisceant catechistae negotiis peragendis sine expressa Ordinarii ejusque delegati venia)) (Num. 728) ⁽⁷⁾.

Quod attinet ad tribunalia peregrinorum, paucis verbis rem absolvimus, suppositis quidem dictis sermonibus de jurisdictione extraterritoriali. Auctores, qui de conditione juridica peregrinorum in Sinis tractant, generatim totam expositionem quaestionis convertunt ad hanc unicam institutionem juridicam scilicet ad jurisdictionem extraterritorialem et credunt se per hanc institutionem quaestionem sub omnibus respectibus absolvere posse. Talem tamen opinionem nos dividere non volumus; quaestio de conditione juridica peregrinorum est complexa et intricata, quae per solam et simplicem expositionem privilegii exemptionis a jurisdictione judiciali sinenai dissolvi nequit. Peculiaritas principalis juris peregrini in Sinis sine dubio consistit in hoc privilegio, sed haec peculiaritas de natura sua non eximit peregrinos ab omnibus legibus sinensibus neque suspendit potestatem legiferam Sinarum super peregrinos. Nos igitur quaestioni huic studere conati sumus omnibus sub respectibus, colligendo explicandoque omnia jura quae relationem cum peregrinis in Sinis habent, ita ut quaedam norma completa pro actibus juridicis peregrinorum et missionariorum praebeatur.

Principium directivum juris peregrini missionarii sistit non in alio jure sed in jure canonico, quod qualitatem personalem ecclesiasticam missionariorum contemplant, eorundem jura civilia vel limitat vel modum exercendi praescribit. Primum Concilium Sinense, uti omnes aliae potestates Romano Pontifice in Ecclesia inferiores, jus commune supplet idque in casibus particularibus explicat; ita pro jure peregrino missionario in Sinis decreta hujus Concilii lucem plenioram attulerint viamque securiorem demonstraverint.

(7) PCS, p. 281-282.

Pacta internationalia Sinarum fundamenta iecerunt juris peregrini Sinensis cum suis peculiaritatibus; quae in suis temporibus inque suis conditionibus protectionem non parvam peregrinis et missionariis perhiberunt, tamen impedimentum evolutioni juris peregrini, mutatis societatis conditionibus, constituunt. Conatus gubernii sinensis ad abolendam jurisdictionem extraterritorialem in praecedentibus annis paucos vel fere nullos fructus sortiti sunt, sed finem suum desideratum his temporibus acquirere iam potuerunt.

Lapis igitur angularis totius instituti juris peregrini sinensis jacet in Normis de applicatione juris, quae injuste a multis, qui de juribus peregrinorum in Sinis inquirunt, negliguntur, a nobis autem plene acceptantur et adhibentur.

Relate ad jura temporalia civilia missionariorum post nostram non brevem tractationem norma juridica paucis verbis resumí potest: habeant ipsi jus suae patriae pro statu personali et juribus familiae: habeant jus sinense civile pro juribus realibus quae sistunt in territorio sinensi et pro actibus juridicis ponendis intra territorium Sinarum; necnon jus tertiae Civitatis habent pro bonis immobilibus, quae existunt in illa Civitate.

Simplex valde et plana videtur quaestio de norma juridica missionariorum, sed post hoc nostrum parvum studium detegitur quaestio esse complexissima et tenebrosa obscuraque. Nos vero, certis ex incertis selectis, totam quaestionem omnibus sub respectibus tangere conati sumus, quamvis summa per capita. Dicere quidem non audemus studium hoc missionariis Sinensibus secumferre non vā lucem et securam viam in exercitio jurium civilium; speramus tantum laborem, quem nos libenti animo sustulimus in facienda hac inquisitione scientifica, incitamentum esse nostris fratribus in Christo ut ipsi animum mentemque ad hanc disciplinam juridicam convertant et normam juridicam missionariis, communi consensu communique labore, construant completam ac perfectam.

Appendix I.
Normae De Applicatione Juris
(5. August. 1918)

Titulus I. NORMAE GENERALES

Articulus I. - Quando juxta has normas praesentes leges exterae applicari debent, si applicatio in casu laedit ordinem publicum vel bonos mores Reipublicae Sinarum, tunc applicatio fieri non debet.

Articulus II. - Quando juxta has normas praesentes applicari debet et jus patriae personae causam habentis, ipsa vero persona multiplices nationalitates habet, tunc secundum nationalitatem ultimam receptam statuitur jus patriae ejus; si autem juxta jus de nationalitate ipsa persona recognoscitur esse cives sine-sis, tunc applicatur jus sinicum.

Si persona causam habens nullam nationalitatem habet, jus patriae ejus est jus loci domicilii; si domicilium non habetur, est jus loci quasi-domicilii (commorationis).

Si jus patriae personae causam habentis differenter habetur in diversis regionibus ipsius Civitatis, tunc applicatur jus illius regionis ad quam persona causam habens pertinet.

Articulus III. - Jus patriae personae moralis civium exterorum quae adprobata et recognita est a jure sinico, est jus loci domicilii.

Articulus IV. - Quando juxta has normas praesentes applicandum est jus patriae personae causam habentis, si jus vero patriae eum remittit ad jus sinense, applicatur jus sinense.

Titulus II. DE PERSONA PHYSICA

Articulus V. - Capacitas juridica personae aestimatur secundum jus patriae.

Si peregrinus quidam secundum jus patriae incapax est, secundum vero jus sinicum capax nuncupatur, habendus est capax relate ad actus juridicos in Sinis ponendos, exceptis casibus de jure familiae, successionis, exceptisque actibus juridicis de bonis immobilibus extra Sinas sitas.

Peregrinus qui secundum jus patriae capax erat, post acquisitionem nationalitatis sinensis incapax est secundum jus sinicum, conservat suam antecedentem capacitatem juridicam.

Articulus VI. - Peregrinus qui domicilium vel quasi-domicilium in sinis habet, declarari potest interdictus ad administrationem bonorum, si causa interdictionis secundum jus patriae et jus sinicum datur.

Articulus VII. - Praescriptio articuli praecedentis applicatur casu quasi-interdictionis.

Articulus VIII. - Peregrinus qui domicilium vel quasi-domicilium in Sinis habet et ignoratur utrum adhuc in vita sit an mortuus, declarari potest secundum jus sinicum esse mortuus relate ad bona sita in Sinis et ad relationes juridicas ad normam juris sinici habitas.

Titulus III. DE FAMILIA

Articulus IX. - Requisita pro contrahendo matrimonio sunt secundum jus patriae contrahentium.

Articulus X. - Pro effectibus matrimonii valet jus patriae mariti. Modus administrandi bona conjugum sequitur jus patriae mariti tempore ineundi matrimonii.

Articulus XI. - Divortium declarari potest quando factum secundum jus patriae mariti et jus sinicum, tempore facti constituti,

recognoscitur esse causa divortii.

Articulus XII. - Status personalis prolis sese habet juxta jus patriae mariti matris tempore nativitatis; si vero filius natus est post mortem mariti matris, status filii habetur juxta jus patriae ad quam maritus matris ultimatim pertinebat.

Articulus XIII. - Requisita necessaria pro recognitione prolis illegitimae sunt juxta jus patriae personae recognitionem dantis et personae recipientis.

Quoad effectus recognitionis valet jus patriae personae recognitionem dantis.

Articulus XIV. - Requisita necessaria pro adoptione sunt secundum jus patriae adoptantis et adoptati.

Quoad effectus adoptionis valet jus patriae adoptantis.

Articulus XV. - Quod ad obligationem sustentationis standum est ad jus patriae personae obligationem habentis; exceptis casibus in quibus jus sinense non permittit petitionem juris ad urgendam obligationem sustentationis.

Articulus XVI. - Relationes juridicae parentes inter et proles sunt juxta jus patriae patris; si sine patre, juxta jus patriae matris.

Articulus XVII. - Relationes familiares praeter casus in praecedentibus octo articulis memoratos et jura officiaque exorta ex istis relationibus, regulantur juxta jus patriae personae causam habentis.

Articulus XVIII. - Tutela regulatur secundum jus patriae pupilli; sed peregrinus qui domicilium vel quasi-domicilium in Sinis habet, in uno ex casibus infra enumerandis, observare debet jus sinicum relate ad tutelam:

1. Secundum jus patriae adest causa tutelam instituendi, sed nos adest persona tutelam exequens.

2. In Sinis interdictus declaratus est ad administrationem bonorum.

Articulus XIX. - Praescription articuli praecedentis applicatur curae.

Titulus IV. DE SUCCESSIONE

Articulus XX. - Successio hereditaria procedit secundum jus patriae illius cui succeditur.

Articulus XXI. - Requisita necessaria pro conficiendo testamento ejusque effectus sunt ad normam juris patriae testatoris tempore testamentum conficiendi.

Revocatio testamenti regulatur secundum jus patriae testatoris tempore revocationis.

Titulus V. DE REBUS

Articulus XXII. - Relate ad jura realia, observatur jus loci rei sitae; sed relate ad naves jura realia sunt secundum jus patriae navis.

Acquisitio ac perditio juris realis, exceptis navibus, habentur secundum jus loci in quo res sistit tempore quo factum juris mutationem produciens perficitur.

Quoad formam testamenti pro juribus realibus observatur praescriptio, n. 1, articuli 26.

Articulus XXIII. - Actus juridicus obligationem generans quoad sua requisita necessaria et effectus tenetur jure quod contrahentes sibi observandum elegerint.

Quando vero voluntas contrahentium obscura evaserit, si contrahentes sunt cives ejusdem Civitatis, observatur jus loci actus.

Si vero loci actus differentes, habendus est uti locus actus ille locus ex quo nuntium contractus emissum est.

Si vero locus ex quo contractus petitur, differt a loco in quo contractus consentitur, habendus est uti locus actus ille locus ex quo nuntium petitionis emissum est, et jus istius loci observandum est in contractu; si pars contractui consentiens, tempore consensum praestandi, nescit locum ex quo petitio contractus

emissa est, tunc locus actus erit locus in quo pars contractum petens domicilium habet tempore contractum ineundi.

Articulus XXIV. - Quoad obligationes ex quasi-contractu observatur jus loci facti.

Articulus XXV. - Quoad obligationem ex actibus illicitis observatur jus loci actus; sed si actus habendus non est uti delictum secundum jus sinicum, jus loci actus non applicatur.

Reparatio damni et petitio aliarum punitionum relate ad actus illicitos paragraphi praecedentis fieri possunt tantum in casibus quibus ius sinicum id permittit.

Titulus VI. DE FORMA ACTUS JURIDICI

Articulus XXVI. - Forma actus juridici fit secundum jus loci actus, nisi in casibus particularibus jus aliter statuerit; sed si forma illius juris quod regulat effectus actus, servata fuerit, actus etiam valet.

Praescriptio paragraphi praecedentis non applicatur actibus juridicis qui finem habent in disponendo vel conservando jure tituli.

Titulus VII

Articulus XXVII. - Normae hae praesentes vigorem habent a die promulgationis.

cfr. CPSJ tom. X p. 1-5.

Appendix II.

Specimen Pactorum Inter Sinas Et Exteras Nationes

I. Pacta vetera

((Art. 11. - Praeter Canton, Foochow, Amoy, Ningpo, Shanghai, quae quinque civitates juxta pactum Nankinens jam sunt apertae commerciis exteris, permittitur deinceps ut cives Angliae in portibus Niutcuhan, Tenchow, Insula Formosa, Chiaochow, Tchun-chow commercia agent cum facultate ibi permanendi... et juxta terminos jam stabilitos in pacto antecedenti de quinque portibus apertis possunt locare vel emere domos, locare fundos ad construendam ecclesiam, coemeteria...)).

((Art. 12. - Quando cives anglici in portibus apertis locare fundos ad construenda horrea, ecclesiam, nosocomia vel coemeteria volunt, ipsi debent cum justitia convenire de pretio sine dolo et violentia)).

((Art. 13. - Cives anglici posunt conducere operarios sinenses pro serviitiis vel pro artibus; auctoritates sinenses non debent id impedire)).

((Art. 15. - Causae inter cives anglicos, sive relate ad jura personalia sive relate ad jura patrimonialia, judicantur a tribunali anglico)).

((Art. 16. - Si quisque anglicus cives delictum commiserit, punitur ab auctoritate anglica. Si Sinensis injuriam vel aliud delictum contra cives anglicos commiserit, punitur ab auctoritate sinensi. Causae quae ab auctoritatibus duarum partium dependent, judicantur secundum justitiam a tribunali communi auctoritatum duarum partium)).

((Art. 17. - Cum cives anglicus actiones contra cives sinenses movere velit, libellu mitis consuli anglico praesentare debet; consul vero causam perpendet actorique persuadebit ut litem evitet. Idem a consuli anglico est faciendum, cum ipse libellum litis contra civem anglicum a civi sinensi receperit. Si vero persuasio infructuosa evaserit, tunc consul anglicus et auctoritates sinenses causam videant justeque judicent)).

(pactum cum Anglia an. 1858).

Cfr. PVNS tom. II, p. 24, vol. II).

II. Pacta nova

((Art. IV. - The nationals of each of the High Contracting Parties shall be at liberty to enter or to leave the territory of the other, provided that they shall carry with them passports certifying their nationality issued by the competent authorities of their own country and visaed by the competente authorities of the country of destination.

((Art V. - The nationals of each of the High Contracting Parties shall enjoy, in the territory of the other, the full protection of the laws and regulations of the country in regard to their persons and property. They shall have the right subject to the laws and regulations of the country, to travel, reside, establish firms, acquire or leave property, work and engage in industry or commerce in all the localities where the nationals of any other country shall be permitted to do so and in the same manner and under the same conditions as the nationals of any other country.

((Art. VI. - The nationals of each of the High Contracting Parties as well as their property, in the territory of the other, shall be subject to the laws and regulations of the country and to the jurisdiction of its law courts.

((In legal proceedings the nationals of each of the High Contracting Parties in the territory of the other shall have free and easy access to the courts and be at liberty to employ lawyers or representatives in accordance with the laws of the country, and interpreters, if necessary, may be called in by the courts for assistance.

(Art. VII. - The nationals of each of the High Contracting Parties in the territory of the other shall pay taxes, imposts and charges in accordance with the laws and regulations of the country. It is understood that such taxes, imposts and charges shall not be other or higher than those paid by the nationals of the country)).

(pactum cum Czechoslovakia, Feb. 12, 1930).

(Cfr. Two years of Nationalism in China, shanghai 1930,
p. 457-458).

Bibliographia

I. Fontes

Sylloge, 1939.

Primum Concilium Sinense, Shanghai, Zikawei, 1930.

Collectio omnium jurium sinensium vigentium (compilata a ministerio legislativo), Nankino, 1935.

Collectio sex jurium (compilata ab academia juridica), Shanghai, 1931.

Collectio parva sex jurium, Shanghai, 1936.

Collectio jurium et decretorum vigentium (compilata ab academia juridica), Shanghai, 1937.

Collectio legum et decretorum, Shanghai, 1924.

Codex juris civilis Reipublicae sinicae (Exc. Cyrillus R. Jarre O.F.M.), Tsinanfu, 1937.

Pacta vetera et nova inter Sinas et exterarum nationes, Pekino, 1914.

Sino foreign Treaties (Published by the Minister of Foreign Affairs), 1928.

Two-years of nationalism in China (edited by the Minister of Foreign Affairs), Shanghai, 1930.

Fr. Thery, S. J., *Le Droit chinois moderne, Tientsin*. (series continuatae).

Collection of summaries of the decisions of the Supreme Court, Peking, 1919.

Complete collection of the decisions of the Ta-ly-yuan, by Kuo-wei, Shanghai, 1933.

Complete text of the interpretations of the Ta-li-yuan, by Kuo-wei, Shanghai, 1933.

Treaties between the Empire of China and foreign Powers, Meyers (W.F.), Shanghai, 1906.

Treaties, Conventions, etc., between China and Foreign State, Tonymbee (Arnald J.) Shanghai, 1917.

II. Auctores Pro Jure Peregrino In Genere

Silvius Romani, De norma juris, Roma, 1937.

Niboyet, Manual de droit international prive, Paris, 1928.

Pillet, Droit international prive, Paris, 1903.

— *Principles de droit international prive, Paris, Erda.*

Prospero Fedozzi, Il diritto internazionale privato, Padova, 1939.

Giannini A., Convenzioni di diritto internazionale privato, Milano, 1928.

Luigi Olivi, Diritto internazionale pubblico e privato, Milano, 1933.

Giulio Diana, Diritto internazionale, Milano, 1939.

III. Auctores De Conditione juridica peregrinorum In Sinis

Jean Escarra, *La chine et le droit international*, Paris, 1931.

— *Le regime de Concessions etrangeres en Chine*, Recueil des Cours, 1929, II.

— *Recueil des Sommaires de la Jurisprudence de la Cour Supreme de la Republique de Chine*, Shanghai, 1924.

— *Sources du droit positif actuel de la Chine*, Berlin, 1929.

— *Droit chinois et droit compare* (Balogh, Elemer, Actorum Academiae Universalis Jurisp.), Vol. I., p. 272-292.

— *The extraterritoriality problem* (extr. de la Revue de droit international prive, Paris, 1923).

— *Le nouveau regime de cours mixtes de Shanghai Bulletin de la Societe generale des Prisons et de Legislation cri-minelle*, Paris, 1930.

- Georges Soulie De Morant, *Exterritorialite et interets etrangers en Chine*, Paris, 1925.
- Koo (V. K. Wellington), *Status of aliens in China*, (Columbia S. U.), 1912.
- Wang-yu-ying, *Jus internationale privatum*, Shanghai, 1931.
- Tang-che-chang, *Jus internationale privatum in Sinis*, Shanghai, 1935.
- Sir. Fred. Whyte, *China and Powers*. Shanghai, 1928.
- S. T. King. *The Diplomatic History of Modern China*, Shanghai, 1930.
- Chu-She-Tchen, *Quaestio de abolitione jurisdictionis extrat.* Shanghai, 1928.
- Summae lineae pactorum inaequalium* (edita ab associatione de abolitione juris. extrat.), Shanghai 1927.
- James Woo Kaiseng, *La politique Etrangere du Gouvernement National de Chine et le revision des Traites Inegaux*. Paris, 1931.
- Raymond Tan-Shen-Chi, *La condition juridique des etrangers et particulierement des societes commerciales francaises en Chine*, Paris, 1932.
- N. Makenizie, *The legal status of Aliens in pacific Countries*, London, 1937.
- Baudez (M.), *Essai sur la condition juridique des etrangers en Chine*, Paris, 1925.
- Chang (chung-sing), *Les concessions en Chine*, Paris, 1925.
- Chen (Y. W.), *China's Anomalous Position in International Law*, Peking, 1923.
- Keeton (Y. W.), *The development of Extraterritoriality in China*, London, 1928.
- Ariga (Nagao), *La Chine et la Grande Guerre europeenne au point de vue du Droit international, d'apres les documents officiels du Gouvernement chinois*, Paris, 1920.
- Chan Chung Sing, *Les Concessions en Chine*, Paris, 1925.

Chan Chung Tao, *Les Traités inégaux de la Chine et l'attitude des Puissances*, Paris, 1928.

Dennis (William Cullen), *Extraterritoriality in China*, Concord, 1924.

De Lapradelle, *La Question chinoise*, *Revue générale du Droit international privé*, 1901, 1902, 1903.

— *Études sur l'affaire von Helfeld*. - *Pandectes françaises*, périodiques, 2^ed cahier 1912-IV.

R. H. Onang, *Essai sur le régime des Capitulations en Chine*. Paris 1933.

Yao Tcle Ho, *Recueil de jurisprudence relative aux causes mixtes*, Shanghai.

Wang Yun-Sen, *Historia sexaginta annorum relationum inter Sinas et Japoniam*, Tien-tsin. 1933.

Padoux (G.), *Cours mixtes de Shanghai* - *Journal du Droit international*, mai-juin, 1928.

— *Condition juridique en Chine des étrangers ressortissants de Puissances sans traité*. - *Journal du Droit international*, 1920.

— *La suppression progressive de l'extraterritorialité au Siam*. - *Journal du Droit international*, Août-oct., 1922.

— *Status des étrangers en Chine*. - *Journal du Droit international*. juillet-oct., 1928.

— *La loi du 5 août 1918 sur l'application des lois étrangères en Chine*, Peking, 1922.

Wang-Chung-Hui, *L'organisation judiciaire de la Chine*, Peking, 1920.

Tchou Ngo Siang, *Les Capitulations et la nouvelle Constitution chinoise*, Cambridge, 1915.

Tondon, *Les cours mixtes en Chine*, *Nouvelle Revue pratique de Droit international privé*, 1912.

Tsien Tai, *La réforme judiciaire en Chine*, *Revue politique et parlementaire*, avril-juin 1919.

IV. Auctores De Conditlone Misslionum In Sinis

Celsus Costantini, *Va e annunzia il regno di Dio*. Brescia 1943.

— *La crisi cinese e il Cattolicismo*, Roma 1931.

— *Aspetti del problema missionario*, Roma 1935.

Theodorus Grentrup, *Jus missionarium*, Steyl Hollandiae 1925.

Josephus Siao, *Historia ecclesiastica*, vol. II, ed. IV. Shiensien.

Pasquale D'Elia, *Historia missionum in Sinis*. Shanghai 1934.

H. Bernard, *Aux Portes de la Chine. Les Missions du XVI siecle*. Shanghai, 1936.

Giannini A., *La situazione internazionate delle missioni cattoliche*, Milano 1941.

De Lanessan, *Les missions et leurs protectorat*, Paris 1907.

Abbreviationes

PVNS = *Pacta vetera et nova inter Sinas et exteras nationes. Pekini 1914.*

CPSJ = *Collectio parva sex jurium. Shanghai 1936.*

CJD = *Collectio jurium et decretorum vigentium, Shanghai 1937.*

CCJV = *Collectio omnium jurium sinensium vigentium, Nanking 1935.*

CPS = *Primum Concilium Sinense, Shanghai 1930.*

CJCS = *(Tsinnanfu 1936). Codex juris civilis Reipublicae sinicae.*

NAJ = *Normae de applicatione juris (in appendice I).*